TRACTATUS DE IURIDICA POTESTATE CONFESSARIORUM, &...

Claude Soler

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
16 A
18
M
13-23. G. 17

AVa 101 fra

TRACTATVS DE IVRIDICA POTESTATE CONFESSARIORVM,

& nonnullis iuris difficultatibus in hanc rem obſeruandis.

Omnia deciſa, quantum fieri potuit, iuxta Sacroſancti Concilij Triden. Decreta, & varias Summorum Pontificum Conſtitutiones indè ſubſequutas.

Authore CLAVDIO SOLERI, ſacræ Theologiæ Doctore.



LVGDVNI,

Sumptibus CLAVDII MORILLON, Typogr. Sereniſſ. Duciſſæ Montiſpenſerij.

1618.

Cum Approb. Doctorum, & Priuilegio Re

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD REVERENDOS PATRES, PAROCHOS, OPTIMÓSQVE ALIOS Confeſſores.

INTER *cæteras Confeſſarij conditiones (optimi Paſtores) vt præcipua prænotanda eſt, & expendenda illa, quæ dicitur, Poteſtas Iuridica Confeſſarij: hanc enim neceſſariò debet habere, ſuum ritè vt exerceat officium, nihilque magis conducit, quàm diſcernere quouſque ipſa iuriſdictio ſeſe extendat, cùm conſiſtat in decidendis caſibus conſcientiæ inter audiendas confeſſiones occurrentibus, & omnis iudex continere ſe debeat intra ſui territorij limites, diligentérque cauere, ne (vt dicunt) mittat falcem ſuam in meſſem alienam. Siquidem Confeſſor contrario tramite pergens, rectum non componeret de animabus iudicium, & abſolutio quam eis impenderet, nulla eſſet, confeſſióque præcedens (re explorata) vt nullius effectus reiteranda. Quàm magna ſit ipſa Confeſſarij poteſtas dici non poteſt,*

nihil ſanè ſublimius, & admirabilius Eccleſiæ à Deo conceſſum fuit hac poteſtate Confeſſario concreditâ, ſic nempè Sacramentum Pœnitentiæ adminiſtrandi, vt hac via regnũ cœlorum pœnitentibus aperiatur, animæ funibus peccatorũ ſuorum irretitæ abſoluantur, remiſſióque quorumcũque ſcelerum beneficio ipſius ſacramentalis abſolutionis ſic fiat in terris, vt grata, firmáque habeatur in cœlis: Poteſtas, inquam, nuſquam Angelis tradita, imò ſolius diuinæ Maieſtatis propria, delere nimirum iniquitates hominum, & à Deo Patre, Filio eius, Redemptori noſtro ſingulari priuilegio communicata, dum omne iudicium ei dederit, idque maximè in remunerationem
Math. 16. *meriti ſacratiſſimæ eius humanitatis, & quod admirationem excedit, ipſe Chriſtus eandem*
Io. 21. Math. 9. *Apoſtolis ſuis dederit, vnde iure in gratiarum actionem illud Euangelij decantari poteſt*: Benedictus Deus qui talem poteſtatem dedit hominibus. *Verũtamen quantò ipſa authoritas eſt ſublimis, & ſuprema, tãtò difficilis ſuo vſu quoque occurrit, & Confeſſario laborioſa ſæpè periculoſa: agitur enim de animarum ſalute, & ruina ſæpè ei paratur, ſi nempè miniſter in ipſa functione eâ non vtatur, qua decet dexteritate, & diligentia. Eò ſanè reſonant eloquia illa diuina, quæ audientem non parùm afficere debent;*

dicitur

dicitur enim: Videte, Iudices, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, ſed Domini; & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit. *Et Paulus:* Nemini, *inquit*, citò manus impoſueris. *Et alibi:* In quo alium iudicas, te ipſum condemnas. *Negotium ſanè perarduum, quàm difficile, & cautè tractandum, ita vt illud Hippocratis in hanc rem iure poſſet afferi:* Ars longa, vita breuis, iudicium difficile, experimentum periculoſum. *Longè enim præſtat anima corpore, & infirmitates animi (vt ſunt peccata) multò ſunt difficiliores cognitu, & curatione, quàm corporis. Tantæ autem huiuſce difficultatis variæ diſcernuntur cauſæ: non enim ſolùm, quia verſatur circa hominum mores, ſeu actiones, quæ penè infinitæ ſunt, & incertæ, & quatenus iudicio diſcutiendæ particulares, ita vt de ipſis non certa ſcientia, ſed rudis ſolùm experientia haberi ſoleat. Sed omnium maximè rei difficultas pendet ex eo, quòd iudicium ipſum componendum ſit iuxta canones, decreta Conciliorum, conſtitutiones Pontificum, cenſuráſque alias eccleſiaſticas, quæ non ſemper & vbique eumdem habent locum, & vſum: vt enim ipſa ad mores ſpectant, non parum variantur pro temporum varietate, & negotiorum ſucceſſione, ita vt ſedulò*

2. Paral. p. c. 19.

1. Timot. 5.

Rom. 2.

diſtinguenda tunc ſint tempora ad ipſas diſcernendas, & inuicem conciliandas: tum etiam quia ex his decretis & ſanctionibus aliæ in corpore Iuris habentur, aliæ extrà, vnde Extrauagantes dicuntur. Et licèt quædam ipſarum ſint in magno Bullario collectæ, maxima tamen ex parte per varia alia ſunt diſperſæ, & adeò numeroſæ, & incertæ, vt frequenter habeantur incognitæ. Contingit inſuper ſæpe priores ipſas conſtitutiones Pontificum, canones Conciliorum abrogari per poſteriores, vel ex non vſu, per diſſuetudinem, & ſæpe per priuilegia in contrarium obtenta: tum etiam quòd iſtarum conſtitutionum aliæ reperiantur ex toto non eſſe in vſu, aliæ ex parte quadam obſeruentur in vno gentium loco, & non in alio: & quod præcipuè hîc notandum, ſtylus, ſeu praxis curiæ vrbis Romanæ in ipſis apud nonnullos viget, & apud alios ſtylus orbis præualet, iuxta antiqui Iuris in contrarium obſeruationem, ita vt ſæpe quædam ipſarum ſolùm Ciſmontanos, ſeu Italos obligent, & Tranſmontanos excuſent: adeò vt non mirum ſit, ſi inter Autores etiam claſſicos de hac morali Theologia, ſeu de caſibus conſcientiæ aliter nuncupata, non ſemper omnium vna circa eamdem quæſtionem deciſio, opinióve reperiatur. Cæterùm, quantacumque ſit ipſa difficultas, quàm variæ cauſæ, ſeu

Nauarr. de irregul. conſil. 83. n. 1. & 2. tit. de excōmun. conſ. 8. nu. 4. cōſ. 34. nu. 6. tit. de vſuris. cōſ. 34. nu. 2.

ſeu rationes ipſius ſuprà adducta, & aliæ ſimiles, tamen vt nullæ penè apparebunt, & res facillimo negotio conficietur, ſi tota redigatur (quantum fieri poterit) in terminos iuris communis, & deciſio omnis quæſtionis depromatur è canonibus, & decretis ſacri Concilij Tridentini, ex Bullis, ſeu conſtitutionibus Pontificum inde ſubſequutis, in quantum res patietur: dum enim omnia vetera, & noua iura ſibi non cohærent, ad ipſum Concilium tamquam ad ſacram anchoram eſt refugiendum, & tamquam Lydio lapide cuncta dubia ſic ſunt exploranda. Quo factum eſt, vt Doctores ipſius facultatis, quanto poſteriùs ſcripſerint hac de re, tanto tutiùs, & explicatiùs cuncta definierint, cùm eà (vt decebat) pro virili retulerint ad Concilij ipſius decreta, Pontificiáſque conſtitutiones poſteriores. Quare ipſi præ cæteris vt tutiſſimi duces nobis ſunt imitandi, maximè dum occurrit quædam iuris diſſonantia: potuerunt enim ſic inuentis facilè addere, longè remota, ſeu recondita (vt dicitur) tamquam filij in collo gygantis diſcernere. Salutandi interea ſunt ſuo ordine, ſummóque ſtudio habendi, & non prætermittendi antiqui Patres, qui huiuſce artis reliquas, & communes difficultates quàm luculenter tractarunt, habita ſui temporis ratione. Et omnium præcipuè

nobis relegendus eſt ille angelicus Doctor D. Thomas, qui in his (vt in cæteris, quæ ſcripſit) ita cuncta digeſſit, vt nihil melius, nihil explicatius deſiderari poſſit. Et quantum ad eſſentialia huiuſce Theologiæ fundamenta, ipſe, & cæteri vetuſtiores Doctores ita inſudarunt, nihilque intactum reliquerunt, vt iure nomine ipſorum recentioribus dici poſſet illud Sanſonis: Iudic. 6.14. Niſi araſſetis in vitula mea, non inueniſſetis propoſitionem meam. *Quæ ſingula ſupradicta mecum ſæpe voluens, & obſeruans, non parum concitatus ſui, (cùm iam ob ætatem ſeneſcentem à ſacris concionibus habendis deficerem, & plus otij ſolito ad alia natus eſſem) me huic caſuali Theologiæ aſtringere, non ſolùm cum hac via, minori cum labore ipſa poſſet relegi, & tractari, ſed etiam vt Confeſſarios parum exercitatos multis difficultatibus in hac parte occurrentibus ſubleuarem, facilique negotio plenè conſultos redderem. Quod mihi factu facile fore viſum eſt, ſi toto ſtudio manum adhiberem ad tractatum ſpecialem condendum ſolùm de poteſtate iuridica Confeſſarij conſcriptum, cùm precipua huiuſce artis ſit pars, non quòd ipſa à cæteris non fuerit deſcripta, qui Summas ſuas de caſibus conſcientiæ diffuſiſſimè ſcripſerunt, ſed quòd à nullò (quod ſciam) de*

hac

hac Confeſſarij iuriſdictione ſeorſim, & ex profeſſo fuerit tractatum, ſed ſolùm perfunctoriè, & quatenus ſpectabat ad integritatem totius illorum operis iam ſuſcepti: ita tamen, vt veſtigiis ipſorum primùm inhærens, & nihil noui ex noſtro proferens, cuncta, quæ in hanc rem ſunt dicenda, in terminos iuris communis (vt dictum eſt) pro virili reducenda mihi propoſui, & iuxta ſtylum curiæ Romanæ digerenda. Et quo explicatior tota res euadat, cùm ipſa Confeſſarij poteſtas ſit iudicialis, & varij gradus ipſius, vt in cæteris ſint, nempe ſupremus, infimus, & intermedij, ipſos in ſex præcipua capita redegimus, quaſi in ſuas claſſes diſtinctos, & tamquam breui in tabula ſic deſcripſimus, vt de omni caſu conſcientiæ occurrente, ex eis velut ex promptuario locupletiſſimo, cuique facillimum erit diſcernere, & colligere, qualis, cuiúſque Confeſſarij ſit autoritas, & quonam pacto omnis huiuſmodi caſus deciſio ſit componenda: ab alio enim ipſa peti non poteſt, niſi à ſummo Pontifice, vel Epiſcopo, ſeu alio Ordinario, Parocho, ſimplici Confeſſario, regulari, vel virtute Indulgentiarum ad id electo. Quare res tota ita in ſex præcipua capita redacta eſt, vt primò agatur de caſibus Pontificalibus: ſecundò de caſibus Epiſcopalibus: tertiò de poteſtate, quam Parochus in hanc rem

ex officio habet: quartò, ſimplices Sacerdotes maximè ſeculares ex conceſſione: quintò, regulares ex priuilegio: ſextò, quiuis Confeſſarius ex virtute Indulgentiarum. Nullus enim caſus conſcientiæ penè occurrere poteſt, qui vno, aut altero ipſorum capitum non contineatur, & ſic facilius abſoluatur. Tres item ſelegi, quatuórve potiſſimùm Autores, in ipſius meæ narrationis confirmationem etiam potiſſimùm ſequendos, & inter recentiores imitandos, nempe Iacobum Viualdum in Candelabro aureo, Iacobum de Graffiis in ſuis deciſionibus aureis, Cardinalem Toletum in ſua Summa, & Martinum Aſpilcuetam Doctorem Nauarrum maximè in ſuo Manuali, & conſiliis. Præterea loca ex ipſis Autoribus deſumpta eſſe citanda mihi etiam viſum fuit nudè, & citra vſitatum aliorum morem, & legum numeroſam citationem, idque ne multitudo librorum, & varietas locorum obruerent ingenia lectorum rudium, & adhuc tyrunculorum in hac facultate: tum quòd magis exercitati recurrentes ad lectionem ipſorum Doctorum, non minus poterunt ſuam animi dexteritatem, & ſagacitatem ſic explere, & omnes indifferenter peruoluentes ſæpe ipſos, paucos quidem, ſed quàm eruditos, hos ſibi quàm familiares ita reddent, vt in promptu, & ſine

vlla

vlla hæſitatione cuiuſuis difficultatis occurrentis nodos inuenire, & extricare valebunt. Ecce igitur (optimi Paſtores) inſtitutum noſtrum, & qualecumque ſit, eo ſtudio ſuſcipiatis, quo vobis oblatum. Rudis ſanè ſermo, & contemptibilis, ſtylus non terſus, ſeu politus, (qualis, tale deceret ſubiectum) opus tamen non omninò inutile, nec lectionis ſpernendæ. Si quis intereà veſtrûm quid iuri non conſonans in ipſo inueniet, corrigat, æqui bonique conſulat, & in melius vertat, omnium ſanè, mentis, & eruditionis congruentis iudicio me ſubmitto, vt in omnibus aliis ſanctæ matris Eccleſiæ, columnæ veritatis, cenſuræ me totum tradere ſoleo. Tandem, vt vltima primis reſpondeant, quiſquis hæc, & ſimilia lectitauerit, maximè ſi huius profeſſionis fuerit, liberè mecum fateatur, hac iuridica poteſtate nihil ſublimius, nihil Deo gratius bene exercitata, & Confeſſario nihil optabilius, quàm huiuſmodi talentum, omni diligentia adhibita, & indefeſſo labore ad Dei gloriam, proximique vtilitatem exercuiſſe, & ſic animas errantes potuiſſe reducere, pœnitentéſque Deo Patri conciliare, vt tandem confidenter à Chriſto ſummo illo Paſtore, qui illas ſuo ſacro ſanguine redemit, illud eloquium euange-

licum auribus noſtris intonet: Euge ſerue bone, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. *Quò nos introducat oſtiarius ipſe, qui cum Patre & Spiritu ſancto regnat per æterna ſecula.*

*

PIO

PIO STVDIOSOQVE LECTORI.

TRES aut quatuor Doctores, vt dictum eſt, nobis propoſuimus potiſſimùm in hoc negotio citandos & imitandos, nimirum Martinum Alphonſum, Viuald. in ſuo Candelab. aur. Iacobum de Graffiis in ſuis deciſ. aur. Franciſcum Toletum in ſua Summa de Inſtructione Sacerdotum, vbi de caſibus conſcientiæ, Martinum Aſpilcuetam Doctorem Nauarrum in ſuo Manuali, ſeu Summa, & in Conſiliis ſuis. Cur autem ſelegerimus ipſos potius quã alios, id cauſæ eſt, quòd opera illorum inter recentiores eos maximè commendatos reddant; quantum enim ad Viualdum, & Iacobũ de Graffiis, ſola operum eorum inſcriptio per ſe teſtatur, ſiue enim ſit Candelabrũ aureum, ſiue Deciſiones aureæ, ipſa relucent vti aurum inter cætera metella, ſuóſque Authores (lectione repetita) luculenter demonſtrant, inter reliquos Doctores claſſicos.

ſicos iure celebrãdos. Notandum interea quoad Viualdum tandem opus ſuum correxiſſe, & vt potuit redegiſſe ad ſtylum Curiæ vrbis, cùm antea ſequeretur ſtylum Orbis vt cõmunem iuris praxim: quare ſi quid citetur ex illo, in Candelabro quærendum eſt pro varietate ipſius editionis, ſeu impreſſionis. De Doctore Toleto illuſtriſſimo Cardinale, ſatis ſuperque ex ſe conſtat: nihil enim eruditius, & explicatius deſiderari poteſt in his quæ ipſe conſcripſerit, ſiue in Philoſophia, ſiue in Theologia. Et quantum ad hãc Theologiæ partem, licebit ſolum in medium afferre Coſmi Philiarci teſtimonium de Officio Sacerdotis 1. parte, cap. 30. lib. 3. vbi Lectorem cohortans ad hanc moralem ſeu caſualem Theologiã deſiderat, vt ſtudioſi huius facultatis ſibi emant Summam D. Franciſci Toleti, cùm huius, inquit, quanta ſit eruditio, non ſolùm vrbs, ſed totus orbis teſtimonium reddat: & ſi de minori ad maius, & de capite ad membra argumentari licet, omnium primus eſt habendus: nam Romæ, vbi ſunt ex toto orbe viri doctiſſimi, quales nulla alia habet ciuitas, omnes ei libenter cedunt, & ſummum illius admirantur ingenium, in rebus difficillimis

eius

eius quærunt,& amplectuntur iudicium. Qualis ſit Martinus Doctor Nauarrus, Viualdus in ſuo Candel.aur.in principio ſatis apertè demonſtrat, vbi inter omnes, tam Theologos (quoad moralia) vno D. Thoma excepto, quàm vtriuſque iuris Doctores, ſupremum locum authoritatémque habere ipſum D. Martinum Nauar. ab eruditiſſimis viris ſe audiuiſſe teſtatur, ídque (ſalua aliorum veniâ & reuerentiâ) validiſſimis argumentis manifeſtũ facit: primò, propter eius indefeſſum, tam ſacræ Theologiæ, quàm vtriuſque iuris ſtudiũ, in quo etiã publicè in celeberrimis totius orbis Academiis, legendo ſeptuaginta & amplius annos, conſumpſit, vt ipſe teſtatur in Manuali cap. 25. num. 101. Secundò, quia nunquam aut raró loquitur ſine textu, gloſſa, Doctor. authoritate, aut ratione efficaci. Tertiò, propter illuſtriſſimos viros ſcriptores, & ſapientiſſimos Doctores, quos in diſcipulos habuit, D. Didacum Couarruuiam, D. Franciſcum Salmiento, Epiſcopum Gienenſem, Arium Pinelum, & Manuelem à Coſta, Michaëlem à Coſta, alióſque plures in hac facultate celeberrimos. Quartò, qui cùm nonagenarius eſſet (vt ipſe in dedicatione ſecunda ad Grego-
rium

rium XIII. Pont.Max.refert) penè poſt reliquos omnes hucúſque ſcripſit authores. Quintò, quia cum plurimis illorum varios litterarum congreſſus, ſeu conſultationes habuit, à multíſque eorum ſæpè fuit conſultus, vt in primo Manuali Latino conſtat. Poſtremo, quia ſcripſerit poſt ſacri Concilij Trid.acta, & varias Pij V. atque Gregorij XIII. Conſtitutiones ſubſequutas. Duo præterea hîc obſeruanda ſunt, quorum alterum eſt, quod cū ipſe Nauarrus per ſexdecim aut octodecim annos Romæ in ſacra Pœnitentiaria demoratus ſit, & multa notatu dignisſima expertus fuerit, infinitos ferè conſcientiæ caſus reſoluens, ſuum Manuale Confeſſariorum ita vidit, & reuoluit, vt quaſi ſeipſum corrigens, illud quater aliáque opera emendauit, typíſque purgatiſſima mandauit: quæ repetita editio non paruam ſæpè Lectori parit difficultatem, non in citatione capitum, ſed numerorum: quia non ſemper & vbique eadem numerorum ratio reperitur. Quare cùm numerus textualis alicubi citatus nō reperitur in ſuo Manuali, recurrendum eſt ad lectionem eiuſdem, alterius intereà editionis, cùm ipſa editionum varietas in ratione numeri non
ſemper

ſemper ſibi conſtat. Alterum & vltimum obſeruandum, eſt Manuale Confeſſariorum ipſius Nauarri, longè anteà in lucem editum fuiſſe, quàm opus Conſiliorum ipſius: & facta vtriuſque comparatione, poteſt Manuale referri ad theoricam, ſeu ſpeculatiuam partem huiuſce facultatis: opus autem Conſiliorum ad practicam, & plurimum Conſilia illius facienda, iuxta illud Philoſophicum: *Poſteriora ortu priora perfectione.*

DIVI

DIVISIO TOTIVS OPERIS IN SVAS partes, ſeu capita præcipua.

1. *CAput primum continet per quandam iſagogem, nonnulla artis principia, ſeu communes iuris deciſiones, quibus præmiſſis & prælibatis, facilis patebit acceſſus ad concluſiones colligendas.*

2. *De caſibus Pontificalibus, vt colliguntur ex decretis ſacrorum Conciliorum, Conſtitutionibúſque Summorum Pontificum, vbi omnium maximè circa finem dicetur de Bulla Cœnæ Domini, & caſibus in ea contentis.*

3. *De caſibus Epiſcopalibus, ſeu iure ipſo Epiſcopis reſeruatis, vbi præcipuè dicetur de authoritate eis tradita à Concilio Tridentino ſeſſ.24.cap.6.*

4. *De caſibus pertinentibus ad Parochos, ſiue de authoritate ipſorum ad audiendas confeſſiones, vbi nonnihil obſeruabitur ſuper illud caput,* Omnis vtriuſque ſexus.

5. *De poteſtate ſimplicium Sacerdotum, maximè ſæcularium, prout admittuntur ad id officij ex cōceſſione ſeu commiſſione, vbi pauca*

annota

annotabuntur ſuper caput, Placuit.*de pœnit. diſtinct.6.*

De priuilegiis Mendicantium, & cætero-rum Religioſorum, ad audiendas confeſſiones tum ſuorum, tum aliorum: vbi nonnulla ad-feruntur ſuper Clement. Dudum, *& ſimiles.* 6.

De quouis Confeſſore, ad id electo, virtute indulgentiarum. 7.

Vt Confeſſarius ſe gerere debeat generali-ter in ſuos pœnitentes, & ſpecialiter in ſuas filias ſpirituales. 8.

De obligatione legis humanæ, & Eccle-ſiaſticæ. 9.

De forma interrogandi per modum exa-minis, clericos promouendos ad Ordines, aut aliam Eccleſiæ functionem. 10.

DE

DE IVRIDICA POTESTATE CONFESSARIORVM.

CAPVT PRIMVM.

De nonnullis artis principiis, ſeu communibus iuris deciſionibus in rem diſſerendam multum conducentibus.

De duplici Confeſſariorum poteſtate, duplicique Eccleſiæ claue.

Diuus Thom.& alij Scholaſtici in 4.Sent.diſt.18.
Concil.Trident.ſeſſ.14.can.9.& 10.cap.6.
Gloſa in Extrauag.ſuper Cathed.tit.de Sepulturis.
Nauar.in Comment.ſuper §.ex his itaque.de pœnit. diſt.1.
Tolet.lib.1.ſuæ Summæ, cap.3.& lib.3.cap.13.

CVm hæc Confeſſarij poteſtas verſetur in foro iudiciali (agitur enim de animabus pœnitentiũ ligandis,vel abſoluendis)quatuor hîc obſeruanda ſunt,quæ in omni iudicij conſtructione concurrunt:poteſtas iudicantis,iuriſdictio eius in has,& non alias perſonas: cauſæ examinatio,& cognitio: hinc

hinc iudicium ſuper reum ſecundùm allegata, & probata proferendum.

De poteſtate Confeſſarij.

INter varias Confeſſarij qualitates prima, & tamquam baſis, ſeu fundamentum cæterarum, eſt poteſtas ordinis, vt ſcilicet Confeſſarius neceſſariò ſit Sacerdos, preſbyteratuſque ordine initiatus: hanc poteſtatem Chriſtus promiſerat diuo Petro, & Apoſtolis, dum diceret illi: *Do tibi claues regni cælorum. Matth.* 16. *&* 18. Et ipſis: *Quidquid ſolueritis ſuper terram, erit ſolutum & in cælis.* Tandem eis, & ſucceſſoribus eorum conceſſit: *Ioann.* 20. *& Chryſoſt. in eumdem locum. Concil. Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 6. *& can.* 3. dum inſufflauit, & dixit: *Accipite Spiritum ſanctum: quorumcumque remiſeritis peccata, remiſſa erunt.* Ita tamen vt ſicut Deo Patri competit per potentiam, vt ſit primaria, & præcipua cauſa efficiens ipſius remiſſionis, vt Chriſto filio ex humanitate ſua per excellentiam ſit cauſa ſecunda, & meritoria: ſic Sacerdoti tunc traditum ſit, vt tertia ſit cauſa, ſubminiſtra, & tamquam inſtrumentum (vt dicunt) animatum huiuſce

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

iuſce peccatorum relaxationis, ſeu remiſſionis.

Hæc poteſtas ita propria eſt, & peculiaris Sacerdoti, vt alius ab eo non poſſit illam vllo modo habere, ſeu ſibi vendicare, ſicut etiam iam definitum eſt in Concilio Tridentino contra Neotericos hæreticos, qui confundere nitentes ipſam hierarchiam, ſeu politiam ſacram à Chriſto in Eccleſia ſic inſtitutam, cuique ſuorum communicare audent, ſuos ſequaces temerè Sacerdotes eſſe aſſeuerantes, cùm illam aliàs Sacerdoti vero, & eius miniſtro denegare ſtudeant.

Sacerdoti, inquam, ipſa ligandi, & abſoluendi poteſtas fuit conceſſa, non cuilibet, ſed ſolùm legis euangelicæ: ſiquidem licèt Sacerdotibus veteris legis data fuerit poteſtas diſcernendi inter lepram & lepram, inter dignos & indignos templi ingreſſu, non habuerunt tamen præfatam facultatem aperiendi, & obſerandi regnum cælorum, (nondum enim erat via Sanctorum propalata) ſed ſolùm eius quamdam vmbram, & figuram, non mundantes hominem leprâ carnali, ſed iam mundatum declarantes, cùm Sacerdos, ſeu Confeſſor euangelicus ipſo facto,

facto, & (vt dicunt) ex opere operato, ſic ſuis peccatis pœnitentem purget, dum ſacramentaliter abſoluit, vt gratiam ei conferat, capacemque eum regni cæleſtis reddat.

Confertur ipſa ordinis poteſtas Sacerdoti à Deo, mediante impoſitione manuum Epiſcopi ordinem presbyteratus conferentis, tamquam certam qualitatem ſpiritualem, & ſupernaturalem animæ Sacerdotis adhærentem per modum characteris, ita impreſſi, & indelebilis, vt nullo modo deleri poſſit, ſiue in hoc ſeculo, ſiue in alio.

De iuriſdictione Confeſſarij.

CVm omne agens requirat ſibi ſubiectum, & bene diſpoſitum, non ſufficit, vt quis ſit Sacerdos, ſeu poteſtatem ordinis ſupradictam habeat, vt verus, & legitimus Confeſſarius euadat: ſed etiam requiritur iuriſdictio quædam, quam ipſe habeat in pœnitentes, tanquam reos ſibi ſubditos, ſui fori, & non alieni, vt illam ordinis poteſtatem exercere valeat, eos abſoluendo, vel ligando, prout diſpoſitio in illis fuerit inuenta, & ſtatus cauſæ

requi

requiſierit: ſiquidem illa habitualis poteſtas Sacerdotis ſic reducitur in actum per applicationem huiuſce materiæ, hoc eſt, per concurſum pœnitentium, quatenus ſub iuriſdictione eius ſic reducuntur, ſuperiori poteſtate id diſponente.

Vt enim ſummus Pontifex ipſam iuriſdictionem immediatè habet à Deo ſuper omnes fideles: ſic Epiſcopi, mediante Papa, & ab ipſo hanc obtinent, limitatam tamen, hoc eſt, ſuper ſuos diœceſanos, vt Parochus in ſuos parochianos; & ſic de cæteris Prælatis curam animarum habentibus: ita vt (ſummo Pontifice excepto) cæteri Prælati, & Confeſſarij poſſint ipſa iuriſdictione ab Eccleſia ſpoliari, cùm illam ab eadem habuerint.

Varia iuriſdictio ipſa Eccleſiaſtica ſic habetur, vt non ſolùm ſit ordinaria, vel extraordinaria, ſed etiam alia ſit iuriſdictio externa, ſeu fori exterioris, qua nempe Prælati poſſunt iudicare, ſententias ferre, cauſas definire, leges Eccleſiaſticas condere, quatenus ſpectant ad externam politiam. Altera eſt iuriſdictio fori interioris, & ad ſtatum conſcientiæ ſpectans. Et de ipſa poſteriori intelligitur, dum de iuriſdictione Confeſſarij

ſermo

ſermo habetur. Eſt autem differentia inter ipſas duas ſpecies: quòd ipſa, quæ eſt fori interioris, adeò neceſſariò ſe habet cum poteſtate ordinis, ad audiendas confeſſiones ſacramentales, vt vna ſine altera ad id (vt dictum eſt) nihil efficaciæ habeat: quæ verò externa eſt, ſeparatim haberi poteſt, & Prælatus etiam non Sacerdos in ſuos eam exercere valet, immò ad eam exercendam poſſit ſibi vicarium conſtituere, etiam ordine presbyteratus non inſignitum.

De claue ſcientiæ.

IAm Confeſſarius compoſitus poteſtate ordinis, & iuriſdictionis, accedens ad vſum ipſarum facultatum ex officio ſuo iudicium compoſiturus ſuper animas pœnitentium in foro conſcientiæ, tertiò requiritur, vt ipſe Confeſſarius clauem ſcientiæ habeat, cùm tunc vt iudex cauſæ cognitionem ſuſcipiat, & eam diſcernere debeat præuio examine, & diſcuſſione exacta ex pœnitentis confeſſione; hincque colligat, quæ peccata ſint mortalia, & quæ venialia, vtrùm ille ſit abſoluendus, an non: Eccleſia enim de occultis non iudicat, & (vt Philo-

ſophus ait) non poteſt iudex rectè litem dirimere, partibus inauditis. Eſtque ipſa clauis ſcientiæ ſic Confeſſario neceſſaria, vt penitus quempiam non poſſit abſoluere, niſi peccata illius ſibi fuerint cognita, & reuelata: materia enim abſolutionis ſacramentalis eſt peccatum, quo non confeſſo nulla poſſet adhiberi abſolutio. Dicitur autem ipſa peccatorum cognitio ſic parta, clauis ſcientiæ per quamdam metaphoram, nempe quòd vt per clauem recondita alicubi reſerantur, & innoteſcunt, ſic hoc pacto peccata hominis in imo pectoris deliteſcentia ſoli Deo cognita, mediante confeſſione cognita fiunt Confeſſario; ita tamen vt intereà adhuc ſub ſigillo confeſſionis à Deo ſint reſeruata, vt nulla vi, & autoritate humana aliis poſſint propalari.

Acquiritur hæc clauis ſcientiæ mediante pœnitentis præſentis confeſſione, ita vt licèt (modò ſit præſens) per interpretem, ſeu ſcripturam, ſiue nutibus, & ſignis, (ſi ſit mutus) vt olim, poſſit confiteri: tamen nullo modo abſens per literas, ſeu per internuncium poſſet ſacramentaliter ſua Sacerdoti confiteri peccata, minuſque abſolui ab illo, ex

conſti

conſtitutione Papæ Clementis VIII. ad hoc ſpecialiter edita.

Licèt Confeſſarius prçter hanc ſcientiæ clauem (quæ potiſſimùm facti eſt) debeat etiam ſcientiam iuris habere, Theologiam moralem, & ſcire inter lepram & lepram diſcernere, ne cæcus cæcum ducat, & peccet mortaliter, ſi ignoranter tali miniſterio fungendo ſeſe immiſceat: non minùs tamen valida erit abſolutio, ſi adhibita fuerit à Confeſſario ignaro illius ſcientiæ moralis, & iuris, modò interceſſerit illa clauis ſcientiæ, quæ penitus (vt dictum eſt) ad id neceſſaria eſt, & Confeſſarius illâ illuſtratus intentionem habuerit requiſitam, & materiæ Sacramenti formam adhibuerit debitam.

Eodem iure, quo acquirit Confeſſarius hanc clauem ſcientiæ, eodem nempe iure diuino pœnitens tenetur ei ſua detegere peccata: Eccleſia autem interprete hoc fieri debet per confeſſionem auricularem, cùm iugum Domini in ſingulis ſit ſuaue, & onus eius leue; non tamen ſic ad aurem, & ſecretè faciendam eſſe confeſſionem, quòd etiam non minùs eſſet firma, & valida, ſi voluntariè, & ex animo, alióve modo publicè

fieret, vel facta aliis noteſceret.

De claue iuridicæ poteſtatis.

CLauis poteſtatis eſt vltimus, & præcipuus Confeſſarij iudicis ſpiritualis actus, quo nempe in throno illo iudiciali edoctus de ſtatu, & conditione cauſæ, ſibi maximè notificatæ ex parte pœnitentis, ibi perſonam gerentis rei, ſimul teſtis, & accuſantis, iudicium producit, & ſententiam profert, ipſum peccatorem (ſi ſit bene diſpoſitus) abſoluendo à peccatis, gratiam Dei communicando, & vt hæredi regnum cælorum aperiendo; ſicque iuridica ipſa poteſtas clauis dicitur, auferendo peccata, quibus regnum cælorum occludebatur: & dicitur iuridica poteſtas, eo quòd reſultet ex poteſtate ordinis, & iuriſdictionis: iuriſdictio enim, ſeu diſcretio tunc dat materiam, poteſtas autem ordinis formam. Et licèt ipſæ duæ facultates ab inuicem differant, (vt ſuprà dictum eſt) tamen ſimul concurrentes in ipſum abſolutionis actum, ſimul vſurpantur; tum etiam quia è charactere ordinis tamquam ex radice, vnaquæque ſuo modo emanat.

Forma

Forma ipſa loquendi nomine clauis, ad ſummam aliquam,& ſpiritualem poteſtatem exprimendam, vſitatiſſima eſt, & à ſacra Scriptura vtriuſque Teſtamenti non aliena, quantum ad præſens inſtitutum. *Matth.* 16. quantum ad alias varias ſignificationes ſimiles, *Iſai.* 22. *Luc.* 11.

Clauium materialium primus vſus eſt claudere, & ſecundus aperire: vſus autem ipſarum clauium Eccleſiæ è contrario, primò, & principaliter aperire, ſecundò claudere. Siquidem Confeſſarius beneficio ipſarum clauium, pœnitentem bene diſpoſitum abſoluere dicitur: primò enim à culpa abſoluendo, ſecundò ligare dicitur, cùm pœnam æternam remittendo eam commutet in pœnitentiam, ſeu pœnam temporalem.

Ordo autem exercendi ipſas facultates prædictas, is eſt, vt ſi pœnitens cenſura aliqua maximè excommunicationis ſit irretitus, primò virtute iuriſdictionis ab illa abſoluendus eſt, tandem poteſtate ordinis à peccatis ſuis Confeſſarius illum abſoluet, non ſolùm diſpoſitiuè, (vt quidam dicunt) quatenus nempe beneficio Sacramenti (quod tunc adminiſtrat) pœnitentem ex attrito con-

tritum ſæpe reddit,ſed etiam efficienter, in quantum ipſum Sacramentum non ſolùm ſignum ſit rei ſacræ, & ſimilitudinem eius gerat, ſed etiam cauſa eiuſdem exiſtat.

De multiplici ſpecie Confeſſariorum.

Nauarr.in comment.de pœnitentia. diſtinct.6.ſuper Gloſſam ſecundam. num.98.
Tolet.lib.3.cap.13.

Vti ex ſuperiori quæſtione ſatis liquidò conſtare poteſt, quid ſit Confeſſarius, & deſcriptio illius facilè colligi poſſit ex qualitatibus eiuſdem iam enarratis;ſupereſt per modum diuiſionis attingere varias Confeſſariorum ſpecies: dicuntur enim Confeſſarij, aut Ordinarij, & ex officio Proprij, vt Papa, Epiſcopi, Parochi,& Prælati: alij curam animarum habentes; aut dicuntur Extraordinarij, ex delegatione, commiſſione,ſeu conceſſione, vti ſunt communiter omnes Sacerdotes ſeculares, per Superiores ad id admiſſi; vel ſunt huiuſmodi Confeſſarij ex priuilegio, vti ſunt Religioſi mendicantes, & regulares; quoad perſonas ſeculares, ſunt ſimiliter omnes virtute alicuius iubilei,

ſeu

ſeu indulgentiæ in Confeſſarios electi.

Cùm Sacramentum Pœnitentiæ administretur per ſupradictos Confeſſarios,(vt ſuprá dictum eſt)iudicialiter,ſeu per modum iuſtitiæ ſpiritualis, triplex gradus huiuſce iuſtitiæ ſacramentalis eſt diſcernendus, ita vt Papa procedens à Deo immediatè, ſummum gradum occupet tamquam diui Petri proprius ſucceſſor, Epiſcopi vti Apoſtolorum ſucceſſores. *Anacletus epiſt. 2. ad vniuerſos Epiſcopos Italiæ. D. Thomas 2. 2. q. 184. art. 6. ad primum.* in ſecundo, ſeu intermedio reſideant gradu: cæteri Confeſſores, vti ſeptuagintaduobus diſcipulis ſuccedentes, tertium, ſeu infimum iuſtitiæ gradum obtinent, etſi non omnes æqualiter. Hæc graduum diſtinctio colligitur ex varia poteſtate, quam Chriſtus ipſis tradidit. *Matth. 16. & 18. Ioan. 20. & 21.* Sicque diſcernendi ſint caſus conſcientiæ inter audiendas confeſſiones occurrentes, ita vt alij ſint ſummo Pontifici reſeruati, alij Epiſcopis, alij cæteris conceſſi.

Variæ huiuſce artis deciſiones.

CVm omni Confeſſario competat (vt ſuprà monſtratum eſt) non

ſolùm ſcientia facti, ſed etiam iuris, vt tandem auditis confeſſionibus, ſecundùm menſuram delicti adhibeat plagarum modum: ideò omnium maximè illi neceſſarium eſt, caſus conſcientiæ frequenti lectione reuoluere, & mente retinere non ſolùm caſus Pontificales, Epiſcopales in genere, ſed potiſſimùm & in ſpecie expẽdere caſus, qui in Bulla Cœnæ Domini continentur, idq́ue olim ex præcepto ſub pœna peccati mortalis per Bullam Pij V. etſi poſteà ad id teneantur, ſaltem ex conſilio, per Bullam Gregorij XIII. qui ſui ſuperioris edictũ ſic moderauit: conſultumq́ue Confeſſoribus erit, ſi in particulari eam Bullam quiſque apud ſe habere non poterit, ſaltem diploma illius in Eccleſia ſua, loco cuique illorum patenti, affixum habeant, eoq́ue ſic facilè recurrant, dum lectione Bullæ opus erit. *Viuald. in ſuo Candelabro aureo, in explicatione Bullæ Cœnæ Domini, num.* 145. *Toletus lib.* 1. *cap.* 30. *Hieronym. à Sorbo in compendio priuilegiorum Fratrum minorum. tit. excommunicatio.* Caſus reſeruatus dicitur peccatum, cuius abſolutio iure humano prohibita eſt nonnullis Presbyteris, qui tamen iure diuino poſſunt ab omnibus

abſol

abſoluere. Nomen *Caſus* in hoc loco à cadendo dicitur, & generaliter quidem vſurpatur pro omnis peccati maximè mortalis lapſu, iuxta illud Iſaiæ 14. *Quomodo cecidiſti, Lucifer, qui manè oriebaris?* Tamen ſpecialiter, & maximè quantum ad inſtitutum negotium nomen *Caſus* vſurpatur non ſolùm pro crimine, & facto enormi, ſed potiſſimùm pro omni cenſura, excommunicatione, ſuſpenſione, interdicto ei ſæpe annexo; item (etſi minùs propriè) pro quauis alia circa mores cauſa, ſiue difficultate, cuius ſolutio ad iudicem Eccleſiaſticum ſpectat, vt ſunt diſpenſationes iuramentorum, relaxationes votorum. Cæterûm, dum hîc de caſibus agitur ex profeſſo, de his tractabitur, quatenus principaliter cenſuram habent, quam excommunicationem vocant. *Syluester verbo caſus.*

Caſuum reſeruatio ex inſtitutione Eccleſiæ facta adeò firmiter obſeruanda eſt, vt qui auderet aſſeuerare Epiſcopos non poſſe aliquot caſus ſibi reſeruare, pro hæretico haberetur, iuxta Concilij decretum, *ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *&* *can.* 11.

Etſi caſus ita reſeruati dicantur, tamen in articulo mortis (maximè dum

ad ſuperiorem adiri non poteſt) ceſſat omnis illorum reſeruatio, & quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, præciſus, ſchiſmaticus, immò hæreticus (modò non ſit per illum ſubuerſionis periculum) poteſt omnem pœnitentem ab eis indifferenter abſoluere. *Concilium Trident. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. *Viuald. de abſolut. num.* 64.

Nullus eſt caſus Papalis, cui non ſit annexa excommunicatio; ita tamen vt ablatâ cenſurâ excommunicationis, peccatum illud deſinat eſſe reſeruatum, & ab omni Confeſſario approbato poteſt dimitti. *Nauarr. in Manuali, cap.* 27. *num.* 254.

Caſus Epiſcopo reſeruatus non habet ſemper ita excommunicationem annexam, ſæpe enim ſumitur etiam ſolùm pro aliquo graui peccato, ſeu crimine, cuius abſolutio Epiſcopo eſt reſeruata: quare obſeruandum eſt, quòd Epiſcopus quandoque concedit alicui Confeſſario caſus ſibi reſeruatos: non tamen neceſſariò colligendum eſt ei conceſſiſſe poteſtatem abſoluendi à cenſuris ſibi reſeruatis; neque cùm tradit ei talem facultatem, tradidiſſe videatur poteſtatem diſpenſandi ſuper iuramenta, & vota, de

quibus

quibus ipſe poteſt, niſi expreſsè, ſiue tacitè per clauſulam aliquam, mentem ſuam hac de re planam fecerit. *Nauarr. vbi ſuprà, num. 255. in ſexto de pœnit. & remiſſ. cap. ſi Epiſcopus. in deciſionibus aureis, parte prima, cap. 13. num. 68.* Eſt tandem hîc obſeruandum, cùm agitur de caſuum reſeruatione, primò quòd reſeruatio ipſa intelligitur de actibus exterioribus, non autem interioribus: (verbi gratia) ſi quis concupiuit occidere, aut adulterare: nam dictum homicidium, aut adulterium ex nuda concupiſcentia non eſt inter caſus Epiſcopo reſeruatos. Secundò nec intelligitur de actu exteriori, qui non habuit conſummatum effectum, ex quo inferri ſolet; quia pœna impoſita à iure ob aliquod delictum, non procedit, niſi delictum fuerit conſummatum. Tertiò intereà in nonnullis caſus etiam habetur ex actu exteriori, etiamſi ſuum effectum non ſequatur: vti cùm Religioſus excommunicatur, dicens aliquid, vt retrahat audientes à ſolutione decimarum Eccleſiis debitarum, etiamſi aliquis ex eius dicto non retrahatur à ſolutione illarum: ſatis enim eſt, quòd ille id dixerit tali intentione: vti etiam

excommunicantur, qui mandauerint per aſſaſſinos aliquem Chriſtianum interfici, quamuis mors non ſequatur: vti videre licet quoad primam excommunicationem. *In 16. de homicidio, cap. 1.* Quoad ſecundam. *In Clementina cupientes. de pœnitent.* Quartò, nec etiam caſus intelligitur in vllo actu exteriori, dum abeſt culpa lethalis, hoc eſt, dum factum non mortale, ſed veniale eſt: caſuum enim reſeruatio fit ſolùm, vt grauiora peccata grauiori iudicio ſubdantur: quare (verbi gratia) etſi inceſtus ſit, Epiſcopo reſeruatus caſus, eſt tamen citra reſeruationem, cùm committitur à pueris vſum rationis non habentibus. *Vide Jacobum de Graſſis prima parte, lib. 1. cap. 13. num. 71.*

*

De

De duplici excommunicatione, altera à iure; altera ab homine, ſeu iudice.

Nauar.cap.27.manualis n.2.
Viualdus in Candel.aur.de Excõmunicatione. n.51.
Et maximè Toletus lib.1.cap.5.
De Graſſiis 1.p.lib.10.cap.2.

Quid excommunicatio à iure, & quid ab homine.

VAriæ quidem ſunt ſpecies excommunicationis, præcipuè autem & potiſſimum Confeſſario obſeruanda eſt diſtinctio duplicis excommunicationis; quarum altera eſt à iure, altera verò ab homine. Excommunicatio igitur à iure, dicitur ea quæ ſtatuitur, ſeu fulminatur par aliquem Canonem, vel aliquã Conſtitutionẽ in corpore iuris, ſeu alibi habitam; vti (exemp.g.) eſt illa quæ fertur contra percuſſores Clericorum, & aliæ ſimiles, de quibus in poſterum erit dicendum. Excommunicatio verò ab homine eſt quæ per aliquem iudicem fertur.

Excommunicatio à iure dupliciter conſiderari poteſt, quandoque enim generaliter intelligitur à Canone, Concilio, ſtatutóque perpetuo, quod continetur in Extrauagantibus; alia fertur à iure

re particulari, & continetur in legibus Synodalibus, vel particulariter editis in eum qui hoc fecerit, vel non fecerit. Prima extenditur per totam Eccleſiam; ſecunda non extenditur niſi per loca Diœceſis, ſeu Prouinciæ, *de Graſſis 1. parte lib. 4. cap. 2. num. 1.*

Vtraque tam à iure, quàm ab homine duplex eſt, nempe aut ipſo iure, ſeu facto, aut comminatoria: dicitur illa ipſo facto ſeu iure, quæ ſtatim contrauenientes ligat abſque vllius ſententiæ expectatione: illa verò comminatoria eſt, quę non ſtatim ligat, ſed expectatur iudicis ſententia, per quam ipſa excommunicatio eſt fulminanda.

Eſt autem regula ad diſcernendum, quando excommunicatio fit à iure, ſeu ipſo facto, & quando ſit comminatoria. Si enim ſit aliquod verbum denotās excommunicationem ipſam non expectare actum iudicis, tunc eſt ipſo iure; vti quando eſt per verbum præteriti, nempe ſit excommunicatus, habeatur pro excommunicato: vel dicitur ipſo iure, ipſo facto, latæ ſententiæ, & ſimilia. Quando verò ſimile non eſt, ſed dicitur ſolùm ſub pœna excommunicationis, vel excommunicetur, vel aliquod ver-

bum

bum futuri, tunc eſt comminatoria; & licèt contraueniens peccet mortaliter, non tamen ſtatim eſt excommunicatus, ſed venit excommunicandus per iudicem.

In quo differant prædictæ excommunicationes.

INter excommunicationem ab homine, & eam quæ eſt à iure, multiplex eſt differentia. Prima eſt quòd iuris excommunicatio ſemper eſt generalis, non enim fertur cõtra indiuiduam & determinatam perſonam, ſed in genere, contra facientes & non facientes hoc vel illud: at quæ eſt ab homine, aliquando eſt generalis, aliquãdo particularis contra determinatam perſonam.

Poſita excommunicatio ab homine ceſſante vita iudicis, vel moto ab officio remouetur & ipſa, ídq; quidẽ cõtra contrauenientes de nouo, quod ſcilicet eos non leget; quamuis qui antea talem excommunicationem incurrerant, non deſinant poſteà eſſe excommunicati: excommunicatio verò iuris etiam durat mortuo conditore, dum ius ipſum durat.

Ab excommunicatione poſita à iure, &

& nemini reſeruata, poteſt ordinarius etiam inferior abſoluere; non autem ab excommunicatione poſita ab homine ſeu iudice ſuperiore, maximè ſi ſit particularis, & cum perſonæ denuntiatione; niſi inferior ille de mandato Superioris eam excõmunicationem intulerit cum cauſæ cognitione; tum enim ipſe poteſt ab ea abſoluere, parte ſatisfacta ſeu conſentiente. *Tolet. lib. 1. cap. 16.* Quid autem ſit tunc cauſæ cognitio videndus eſt *Angelus verb. abſolution. 2. n. 1.*

Interea notandum eſt quod cùm fertur excommunicatio ab homine, (exempli gratia) contra eos qui furati ſunt bona aliena, qui furatus eſt, non poteſt ſoluere, deſiderat tamen, non incurrit excommunicationem: ſi autem poſteà potuit ſoluere & non ſoluit; incurrit, quia durat vis excommunicationis. Præterea ſi quando lata fuerit excommunicatio, potuit ſoluere, & noluit, poſteà verò factus eſt inops, & non poteſt, incurrit excommunicationem. *Viuald. in ſuo Candel. de excommunicatione n.* 109. citans ad hoc caput ſuper de Raptoribus.

Excommunicationem à iure poſſunt incurrere Epiſcopi, etiamſi non fiat expreſſa eorum mentio; non autem poſſunt

ſunt incurrere vllam à iure ſuſpenſionẽ, niſi facta de his expreſſa mentione. *Tolet.lib.1.cap.46.& lib.6.*Decretalium *tit.de ſententia excommunicationis cap. quia periculoſum.*

Si fertur à Canone ſeu ſtatuto pro futuris culpis, ligantur contrafacientes intra territorium legiſlatoris, quamuis tẽpore legis latę ſeu delicti nõ eſſent ſubditi ei reſpectu originis vel domicilij: ſententia autem hominis comprehendit illos tantùm, qui tempore ſententiæ ſub iudicis eam pronuntiantis iuriſdictione continebantur.

De excommunicatione à iure ex profeſſo dicetur ſuo loco, vt ad rem ſpectat, quia iura ad id ſuppetunt, non autem de excommunicatione ab homine, quia varia, incerta, & nullo iuris limite eſt comprehenſa.

CAPVT II.

De caſibus Pontificalibus.

Multiplex caſuum Pontificaliũ diuiſio, & quid hîc pro corpore iuris intelligatur.

Nauar.cap.27.num.50.
Tolet.lib.1.cap.40. & 18.
Viuald.in principio ſui operis.

CASVVM ſeu excommunicationum Pontificalium, alij ſunt ab homine; & de his nihil quidquam dicendum: alij de iure, & de his ſermo habendus. Ipſarum excommunicationum aliæ ſunt reſeruatæ, aliæ verò non: omnes continentur in corpore iuris Canonici, vel in ſacris & plenariis Conciliis, in Bulla Cœnæ Domini; & multis aliis Extrauagantibus, ſeu Conſtitutionibus ſummorum Pontificum, quæ maxima ex parte collectæ habentur magno Bullario. Ipſarum excommunicationum numerus penè infinitus eſt. *Toletus lib.*1.*cap.*40.*Nauarr.cap.*27.*n.*80. Ita vt ex ipſo ibi colligatur excõmunicationes iuris antiqui paucas eſſe, noui multas, nouiſſimi plurimas; & ex ipſis ſolummodò referantur, quæ frequentiores

tiores contingere poſſunt in his partibus, & maximè quantum ad perſonas ſæculares, reducuntúrque ſic in tres ordines, vt ipſarum excommunicationum, aliæ ſint nulli reſeruatæ, & vt dicunt ſine clauſula reſeruationis; aliæ ſummo Pontifici reſeruatæ, & hæ partim alibi extra Bullam Cœnæ Domini ſunt contentæ, partim ſunt reſeruatæ ſimul in ipſa Bulla Cœnæ domini; de his ſingulis diffuſiſſimè inter cæteros tractarunt.

Ius Canonicum quandoque ſumitur & communiter pro Conſtitutionibus Pontificis, ſtatutíſque Conciliorum, maximè generalium circa regimen Eccleſiæ editis, ſícque præbentibus rectam viuendi normam; quandoque ſpecialiter, & maximè propriè pro iure Canonico; & intelligitur illud iuris corpus, quod quinque continetur libris, qui ſic nominantur, *Decretum*, *Decretales*, *Textus*, *Clementinæ*, & *Extrauagantes*. Quæ ſingula, quatenus à ſummis Pōtificibus, & plenariis Conciliis emanant, irrefragabilem legis habent authoritatem, niſi per contrariam conſuetudinem ſeu cōſtitutionē fuerint abrogata: in reb. enim ad vniuerſalem Eccleſiæ ſtatum pertinentibus, vt in rebus fidei ſummus Pón-

tifex

tifex errare non poteſt. *Viuald. in ſuo Cād. aur. in principio operis, & parte 4. cap. 8. de lege Canonica iuxta ſecundam editionem.* Cæterùm quantùm ad excommunicationem Conciliorum Prouincialium, etiamſi à Gratiano citentur an ipſa ligandi vim habeant ſolùm in ſuis Prouinciis, an etiam extra, etſi quidam negent, tamen non auſint partem negantem, ſed affirmantem ſequi in his quæ vbique vſu videntur receptæ.

Excommunicationes Papales nulli reſeruatæ, potiſſimùm hîc obſeruandæ.

1. PRima fertur in Religioſos qui temerè & abſque debita cauſa dimittunt habitum, & incedunt cum habitu ſæculari.

In eos qui ſcienter & præſumptuosè ſepeliunt in locis ſacris hæreticos, fautores, & defenſores illorum, alióſque excommunicatos, & vſurarios publicos, modò tamen ſint denuntiati nominatim, & non aliter, iuxta Extrauagantem Martini quinti ad euitanda.

2. Qui virginem, ſeu viduam, aliámve cogunt (prætcrquam in caſibus iure expreſſis) ingredi Monaſterium, vel volentem

tem religionem ingredi diſtrahunt,tunc etiam qui ad id conſilium, auxilium, fauorem dederint. *Concil. Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 18.

3. Raptores mulierum,& virginum, & qui ipſas violant, & ſtuprant, fautores, cooperatores illorum, ſic cenſuram excommunicationũ etiam incurrunt, præter pœnas alias à iure ipſo inditas, *Concil. Trident. ſeſſ.* 24. *cap.* 16.

4. Contra duellantes, permittẽtes duellum in terris ſuis, cooperatores & expectantes. 1. Huiuſmodi excommunicatio erat cum clauſula reſeruationis per conſtitutionẽ Pij quarti quæ incipit *ea quæ.* 2. Per *Concilium Trident. ſeſſ.* 25. *cap.* 19. renouatur, ſine tamen reſeruatione, vt notauit *Nauarrus in Manuali, cap.* 27. *num.* 150. *& Iacobus de Graffiis prima parte, lib.* 4. *cap.* 23. Extenditur autem ipſa per Cõcilium ad Imperatorẽ & Reges qui ſub illa non comprehendebantur antea per Conſtitutionem Pij quarti. 3. Quod per Extrauagantem Gregorij XIII. quæ incipit *ad tollendum.* ipſa excommunicatio extenditur in pugnantes duello priuato vt i antea intelligebatur ſolùm duello ſolemni. 4. Quid autem ſit duellum ſolemne, & duellum priuatum, videre licet

cet in locis ſuprà citatis, & maximè ex Bulla Gregorij XIII. vbi vocat duellũ priuatum, ſeu monomachiam, certamen quod fit ſolùm ex condicto ſtatuto tempore, & in loco conuento, ſine vlla alia ſolemnitate qua duellum ſolemne celebratur. 5. Ex lectione prædictæ Extrauagãtis Gregorij XIII. cenſuras & pœnas per Concilium latas in duellantes, & permittentes per ipſum ſummũ Pontificem ſolùm extendi in pugnantes etiá duello priuato, & per conſequens conſtitutionem ipſius excommunicationis per Gregorium latam non eſſe extendendam ad ſingulare certamen, & vt quid aliud à duello priuato poteſt diſcerni, & eſt propriè cùm quis alterum ad ſingularem pugnam ſimpliciter prouocat, ſine loci & temporis indictione: ſícque pugnantes tali ſingulari certamine, non incidere in excommunicationem prædictam.

5. Qui contrahunt ſcienter matrimonia cum conſanguineis, vel affinibus in gradibus prohibitis.

Contra permittentes duellum in terris ſuis, qui committunt ad illud cooperatores, & ſpectatores, idque *ex Concilio Trident. ſeſſ. 25. cap. 19.* Fuit tamen

poſteà,

poſteà, vt anteà, ipſa excommunicatio per varias ſummorum Pontificum conſtitutiones reſeruata. *Nauarr. cap.* 27. *num.*150. Sic inter non reſeruatas ponit, etſi à Iacobo de Graffiis citatur *part.* 1. *lib.*4. *cap.*23.

6. Excommunicantur omnes ſeculares impedientes loca, iuriſdictiones, bona, cenſus, & fructus cuiuſcumque Eccleſiæ, Monaſterij, locíve pij, *ex Concilio Trident. ſeſſ.* 22. *cap.*11.

7. Excommunicatio contra tenentes, ſeu legentes libros prohibitos in Indice contentos, vti in Bullario magno *ex conſtitutione* 99. *Pij IV. Dominici Gregis.* Quàm verò in Indice prædicto variæ ſint claſſes librorum prohibitorum, obſeruandum eſt contineri in prima claſſe nomina hæreticorum: in ſecunda libros Auctorum ſiue Catholicorum, aut hæreticorum, qui falſum dogma, vel quia etiam ſunt contra bonos mores. Secundò, quòd libri, qui ſunt hæreticorum condemnatorum ſunt in duplici differentia: quidam enim continent hæreſim ex profeſſo, & tractant de Religione ex inſtituto, vt Opera Lutheri, & Caluini, & ſimilium, & hi comprehenduntur in prima clauſula Bullæ Cœnæ Domini, & iſtos

iſtos legentes, tenentes, imprimentes ſunt excommunicati excommunicatione illius Bullæ reſeruata ſummo Pontifici. Tertiò, quòd legentes libros hæreticorum, ſeu aliorum, qui etſi hæreſim non doceant ex profeſſo, quia tamen aliud agendo, quid hęreſeos immiſcent, vel contra bonos mores, (vt in ſecunda, & tertia claſſe contineri ſolent) incurrunt excommunicationem non Bullæ Cœnæ Domini, ſed (vt dicunt) Indicis, à qua tamen abſolui poſſunt à quocumque habente facultatem abſoluendi ab excommunicatione, quia non eſt reſeruata. *Deciſ. aureæ prima parte, lib.* 4. *cap*, 18. *à num.* 41.

8. Fertur excommunicatio contra Medicos, qui vocati ad infirmos, ante omnia eos non induxerint ad confeſſionem, & qui eis conſuluerint, quod pro corporis ſalute contrarium fuerit ſaluti animæ. *In* 5. *Decretalium, tit. de pœnitent. & remiſſ. cap.* 13. *& ex Gloſſa ibidem.* Vbi primò notandum eſt, excommunicationem illam non eſſe latæ ſententiæ, ſed ſolùm comminatoriam, hoc eſt, de facto illos non incidere in excommunicationem, ſi infirmos non ita monuerint, ſed quòd poſſint id omit-

tentes

tentes excommunicari, & per Ordinarium ad id compelli ſub pœna excommunicationis. Secundò, quòd id intelligitur, cùm de graui, & non leui infirmitate tractatur.

Excommunicantur *in Clementina cupientes. tit. de pœnitent. & remiſſ.* Religioſi, qui in prima Dominica, quarta, & vltima Quadrageſimæ, & in feſtis Aſcenſionis dominicæ, Pentecoſtes, Natiuitatis beati Ioannis Baptiſtæ, Aſſumptionis Virginis Mariæ, & in die Natiuitatis eius, non prædicauerint de decimis, & non informauerint populum de illarum ſolutione, ſi fuerint requiſiti à Prælatis Eccleſiarum, vel eorum Vicariis. 9

Selectæ quædam excommunicationes ſummo Pontifici reſeruatæ, extra Bullam Cœnæ Domini, in corpore Iuris, & alibi expreſſæ.

Nauarr. cap. 27. à num. 75.
Tolet lib. 1. à cap. 31.
Viuald. tit. de excommunicatione. à num. 126.
De Graff. 1. part. lib. 4. cap. 19.

PRima ipſarum excommunicationum fertur in omnem, qui ſuadente diabolo manus violentas in Clericum, ſeu Monachum, & Religioſum immi-

ſerit, ſicque percuſſerit per ſe, vel per alium; item qui id mandauerit, conſilium, vel fauorem dederit, ſi talia in effectum deducantur. *Can. ſi quis ſuadente diabolo. 17. quæſt. 4.*

Secunda in Clericos, perſonaſque Eccleſiaſticas, qui ſcienter, liberè, ſine vllo iuſto timore, & coactione, admittunt ad diuina excommunicatos à Papa, ſi denunciati fuerint. *Cap. ſignificauit. de ſententia excommunicationis.*

Tertia contra incendiarios Eccleſiarum, domuum, & ſimilium, poſtquàm fuerint denunciati. *Cap. tua. de ſententia excommunicationis.*

Quarta, excommunicantur omnes ſacrilegi, qui non ſolùm infringunt Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, ſed ſimul etiam eas ſuis bonis expoliant. *Cap. conqueſtus. de ſententia excommunicationis.*

Quinta, Religioſi, qui præſumptione quadam adminiſtrant laicis Sacramenta, non ſolùm Baptiſmi, Matrimonij, extremæ Vnctionis, ſed etiam Euchariſtiæ, ſine expreſſa licentia Ordinarij, ſeu Parochi, vel priuilegio à Papa eis ad id ſpecialiter conceſſo; quod tamen priuilegium, quantum ad Euchariſtiæ Sacramentum, in ſanctiſſimo die Paſchæ

commu

communiter ceſſat. *In Clementina prima de priuilegiis.*

Sexta; in omnes Confeſſarios, qui abſque ſpeciali auctoritate audent diſpenſare, & abſoluere à quinque votis principalibus, quæ de iure, & conſuetudine reſeruantur ſummo Pontifici, vti *Votum Ieroſolymitanum, Ad limina diui Petri & Pauli Romæ, Diui Iacobi in Compoſtellam, Votum Religionis, & Caſtitatis perpetuæ.* Idque ex præſumpto certo priuilegio Sixti IV. *in Extrauag. etſi dominici. de pœnitent. & remiſſ.*

Septima, in omnes vtriuſque ſexus perſonas, quæ ingrediuntur Monaſteria Monialium ſine præuia licentia Epiſcopi, aut Superioris illarum, & cauſa legitima iure ipſo expreſſa. Quæ excommunicatio licèt per Concilium non fuerit reſeruata. *Seſſ. 25. cap. 5.* Tamen per Gregorium XIII. *in Extrauag. vbi gratiæ. conſtit. 36.* & alios Pontifices: poſteà fuit cum clauſula reſeruationis limitata.

Octaua, in omnes Moniales, quæ ſuis egrediuntur Monaſteriis ſine legitima licentia Superioris, & ex cauſa iure ipſo conceſſa: vt ſunt *Lepra, Incendium, Peſtis,* & ſimilia.

Nona, excommunicantur omnes im-

pugnantes, ſeu damnantes decreta, & inſtitutiones Societatis Ieſu, etiam cum reſeruatione, per Gregorium XIII. *In Bullario magno, in Extrauag. Aſcendente Domino. num. 102.*

Decima fertur excommunicatio in omnes committentes ſimoniam in beneficiis, ea realiter emendo, ſeu vendendo in ſacris ordinibus: vti cùm daretur, ſeu reciperetur pecunia principaliter pro collatione illorum. *In Extrauag. Pauli II. de ſimonia.*

De ſimonia ex ordine, ſeu ordinum ſacrorum ſuſceptione.

11. QVò iacula præuiſa minùs feriant, pauca de vtraque ſimonia dicentur, nempe prouenientes ex ordinatione, & ex beneficio. Quantum igitur ad primam ſpeciem dicitur primò, nullum Epiſcopum pro vllius ordinis collatione, etiam clericali tonſura, aut pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus, nec pro ſigillo, quidquam poſſe accipere, etiam ſponte oblatum: ſed iſta omnia omninò gratis exhibenda: ſicque eſſet periculum ſimoniæ, quid pro candelis accipere, ſiue tacitè, ſiue expreſsè.

Tolet.

Tolet. lib. 5. cap. 88. Nec liceat Epiſcopo commodum aliquod colligere obliquè, hoc eſt, per viam Notarij, exigendo aliquid ab ipſo pro his, quæ ipſi Notario eueniunt: tum etiam quòd Notarius nec id accipiat pro huiuſmodi literis, dum ſtipendium ab Epiſcopo habet, ſin minùs ſolùm pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialibus decimam partem aurei vnius licitè accipiat. *Concilium Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. de reformatione. & lib. 5. Decretalium, cap. 1. de ſimonia. & Gloſſa in illud cap. Non obſtante quauis conſuetudine. 2. ex Nauarro, cap. 23. num.* 101. Quod poteſt intereà citra periculum ſimoniæ, in foro conſcientiæ ille, qui promouetur, quid Notario Epiſcopi dare pro inſtrumento ordinis etiam ampliùs, quàm deberetur, vel etiam ipſi Epiſcopo (prout dicunt) paſtillis, hoc eſt, munuſculis, quæ dari ſolent vice gratitudinis: id tamen licet præſertim poſt ſuſceptum ordinem, ſeu ordinationem factam, ſine vllo pacto, ſiue præuia tranſactione ſignificata tali promouendo, & tunc tale non dederit pro pretio, nec pro cauſa principali; quamuis in foro exteriori poſſit præſumi contrarium *per caput primum de ſimonia. & ex decreto Concilij ſuprà citati.*

& explicatius in Gloſſa ſuper idem caput.

De ſimonia in beneficio.

12. PRimò, iure antiquo, vt *in Decretalibus, tit. de ſimonia* ſparſim de ipſa agitur: vti *cap. veniens ad nos.* ne quid detur pro inueſtitura beneficij, ſeu miſſione in ſedem, ſeu poſſeſſionem. Simile eſt cap. præcedenti, nempe 8. & *in Extrauaganti ſanè ne vinea. tit. eod. & cap.* 19. notantur ſimonia Abbates, & cæteri maiores Conuentus, qui per receptionem Monachi receperint pecuniam ex pacto, non obſtante conſuetudine. Et *cap. Iacobus.* etiam non obſtante tali vſu prohibetur, ne quid exigatur à capitulantibus, & eis detur à promoto in Canonicum, vt admittatur in diſtributiones, & alia beneficij iura. Idem in Extrauaganti communi *cùm deteſtabile. tit. de ſimonia* vbi excommunicantur perſonæ particulares, & Capitulum ſuſpenditur, ſi contrà fecerint. Hinc *Nauar. cap.* 23. *num.* 101. Quòd beneficiarius quid tale non poteſt ſoluere quoad forum exterius cæteris beneficiariis, ſi datum illud vertitur in priuatum commodum, ſecus in vtilitatem publicam Eccleſiæ.

Secundò,

Secundò, quòd Prælatus, qui eo plus exigit pro titulo maioris beneficij; & Notarius, qui plus accipit pro inſtrumento ordinis, ſeu beneficij maioris, labem ſimoniæ incurrunt. *Nauarr. tit. de ſimonia. conſil.* 13.

Tertiò, quòd non obſtante tali prohibitione indulgenter conceſſum fuit edicto regio, vt habetur *in comitiis Bleſis celebratis ſub Henrico III.* §. 12. & vt confirmatum fuit Senatus decreto, vt refert Rebuffus *in Praxi ſua, tit. quot modis beneficia acquirantur. num.* 13. vt collatores beneficiorum, & huiuſmodi nummum aureum vnum poſſint accipere, & non ampliùs pro huiuſmodi collatione. Intereà *Nauarr. tit. de ſimonia. conſil.* 7. ait, conſuetudinem accipiendi nummum aureum talem pro ſubſcriptione in foro conſcientiæ non excuſare Secretarium, nec collatorem: cùm nec ille pro calamo, nec ipſe pro ordinatione, & iure antiquo, & nouo (vt ſuprà viſum eſt) non poſſit quid accipere in foro cōſcientiæ.

Quartò, dicit tamen idem Nauarrus, quòd promoti ſi quid tale donent, non ſunt cenſendi ſimoniaci, dum id non voluntariè, ſed coactè quodammodò dederint, non valentes aliter reſiſtere,

tamen iuris præſumptione in foro exteriori tales haberi poſſint, *ex Panormitano, & aliis in cap. cùm Eccleſia. tit. de ſimonia.*

Hæc, & ſingula ſummaria fusè repetita ſunt in Concilio Tridentino, loco ſuprà dicto, *ſeſſ.* 24. *cap.* 14. quæ breuitatis cauſa prætermiſſa pro otio relegi poterunt.

12. Duodecima excommunicatio cum reſeruatione in eum qui inducit aliquẽ ad promittendum, aut iurandũ ſe accepturum ſepulturã in ſua Eccleſia, aut quam iam ibi accepiſſet, non mutaturum, *in Clement. Cupientes. §. ſanè, de pœnit. & remiſſ.*

Decimatertia fertur excommunicatio contra Apoſtatas à fide, qui nimirum in Mahometaneam ſectam refugiunt, per Extrauag. Greg. XI. quæ incipit, *Admodum dolenter relatam in directorio Inquiſitorum*, & per Viuald. in Cand. ſuper expoſitionem Bullæ Cœnæ Domini, caſu primo vi[illegible] de hæreticis à nu. 98. ibi vult illam includi Bulla Cœnæ.

Decimaquarta *ex Concil. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 11. fertur in vſurpantes bona Eccleſiarum, vbi verba Concilij relegenda: hæc autem excommunicatio includitur

in Bulla Cœnæ Domini, ſi talis vſurpatio fiat per modum iudicialis & laïcæ authoritatis. *Nauar. cap. 27. num. 69.* Præterea ſi ſint perſonæ Eccleſiaſticæ incurrunt ſuſpenſioné, à qua non poſſint abſolui donec reſtituant, *ex lib. 6. Decretalium tit. de electione & electi poteſtate, cap. 41.* Ibi enim dicitur ſi vacante Cathedrali, Regulari vel Collegiata Eccleſia, ſingulares perſonæ Capituli, vel Conuentus occupant bona à Prelato dimiſſa, vel vacationis tempore obuenientia, donec plenè reſtituant, ab officio, & quibuſcũque beneficiis ſunt ſuſpenſi, non obſtantibus quibuſcunque priuilegiis, ſtatutis, conſuetudine quacunque firmitate validis.

Decimaquinta, *in 6. Decretalium, tit. de ſententia excommunicationis, cap. eos.* reincidunt in priorem excommunicationem, qui abſoluti à Papa, ſeu eius Legato, cum obligatione vt ſe præſentent Ordinario, aut aliis Iudicibus, quò exequantur eorum iuſſa, ſubeundo pœnitentiam, & ſatisfaciendo læſis, vel iis ob quos fuerant excommunicati.

Decimaſexta, excõmunicantur omnes mulieres cuiuſcunque ſtatus ſint, quæ ingrediuntur ſepta Religioſorum, maxi-

mè prætextu alicuius priuilegij:in cuius cenſuræ explicatione, primò expendendæ ſunt duæ Bullæ, ſeu Conſtitutiones in hanc rem editæ; quarum vna eſt Pij V. quæ incipit: *Quia igitur.* Altera eſt Gregorij XIII. quæ incipit, *vbi gratiæ.* Secũdò varias Doctorum ſententias eſſe ſuper huiuſmodi Extrauagantes:quidam enim volunt ſolùm per ipſas intelligi mulieres,quæ prætextu ſeu pręſumptione alicuius priuilegij Monaſteria Religioſorum ingrediuntur, vt *Suares diſp. 22.de excommunicationibus Papæ reſeruatis ſeſſ.6.* Alij volunt includi omnes,& quaſcunque mulieres ingredientes talia monaſteria virorum, etiamſi ingrediantur nullo priuilegij prætextu.*Viualdus tit. de ſuſpenſione num.* 118. Ex declaratione Pij V. poſteà hac de re requiſiti. Quòd etiã probat *ex Nauar.in cap.Statuimus.9.q.13. n.*162.Cæterùm conſulendus eſt vſus,& quali conſuetudine obſeruentur prædictæ Bullæ; eſt enim conſuetudo optima legum interpres. Tertiò, quod poſteà per ſacram Cardinalium congregationem fuit declaratum, per ſupradictum Pij V. & Greg. XIII. ſtatutum non fuiſſe derogatũ ſimpliciter tali priuilegio, ita vt ſingulæ Dominæ de ſtirpe Regia

pro

procreatæ, ac etiam omnes talis ordinis fundatrices, poſſiñt honeſtè ſepta. ſeu monaſteria ingredi Religioſorum, cùm poſtulauerint, etiam cum ſuo concomitatu honeſtè tamen & deuotè. Quartò cum ſuprà dictis Conſtitutionibus prohibetur huiuſmodi introitus, & ne ſcilicet ingrediantur tales domos & Monaſteria, & adeant etiam alia illorum loca, colligitur etiam interdici introitum ad Sacriſtiam, & hortos illorum, ſi continui ſunt Monaſterio, vt ingredi non poſſint niſi per oſtium dicti Monaſterij. Quintò, licet interea ingredi omnibus mulieribus clauſtrum, & alia loca Religioſorum cauſa pietatis, & deuotionis, proceſſionis, tumulationis defunctorũ, & quando in aliqua Eccleſia Fratrũ prędicaretur, & præ multitudine non poſſent aliter mulieres ingredi Eccleſiã, niſi per clauſtrum vel aliũ locum Fratrum, dummodo ad officinas interiores non admittantur. Hæc & longè plura alia diffuſiùs in compendio priuilegiorum Fratrum Minorum per Hieronymum à Sorbo in ſuis Annotationibus.

Excommunicationes Papales, & reſeruatæ in Bulla Cœnæ Domini contentæ.

OMnes Summiſtæ vbi de excommunicatione agunt, communiter Bullam Cœnæ Domini referunt, qualis edita eſt à Pontifice tunc ſedente; ita vt Viualdus in Candel.aur.ſecundæ editionis, Bullam Clementis VIII. attigerit explicandam. Iacob. de Graff. in deciſ. ſuis aureis. & Tolet.in ſua Summa, produxerint Bullam Sixti V. Nauar. verò in ſuo Manuali Bullam Gregorij XIII. Cæterùm nihil penè noui in multiplicitate illarum Bullarũ reperitur, maximè à tempore Gregorij XIII. quare ſufficiet pro inſtituto noſtro Bulla Cœnæ Domini recenſenda à Gregorio XIII. edita anno milleſimo quingenteſimo octogeſimo quarto, & expreſſa in Bullario magno, Conſtitutione 92. Referetur autem quàm breuiter & compendiosè fieri poterit, cùm licebit ad locum Bullarij ſuprà dictum recurrere, qui eam in extenſo videre voluerint.

Excom-

Excommunicationes quæ in Bulla Cœnæ Domini habentur Gregorij XIII.

EXcommunicantur omnes hæretici 1.
cuiuſcunque ſectæ, eorúmque fautores, legentes eorum libros, retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes, & omnes ſchiſmatici.

Excommunicantur omnes à Romano 2.
Pontifice ad futurum Concilium appellantes.

Excommunicantur Piratæ, eorúm- 3.
que receptatores, & fautores.

Excommunicantur omnes hi, qui ſur- 4.
ripiũt bona Chriſtianorum naufragantium, licèt talia bona in littore inueniantur.

Excommunicantur imponentes noua 5.
pedagia ſeu gabellas, vel augentes ſeu imponi aut augeri facientes, & qui prohibita exigunt.

Excommunicantur falſificantes litte- 6.
ras Apoſtolicas, aut Supplicationes ſignatas, quocunque authoritatem habente.

Excommunicantur deferentes arma 7.
& alia vſui bellico idonea ad Turcas, vel ad alios inimicos nominis Chriſtiani. 8.

Excommunicantur qui impediunt, &

inua

inuadunt portantes victualia, & alia neceſſaria in vrbem Romam.

9\. Excommunicantur qui ſua aut aliorum opera lædunt, venientes ad Sedem Apoſtolicam, vel ab ea recedentes.

10\. Excommunicantur qui læſerint Romipetas ac peregrinos ad vrbem accedentes, & in ea morantes, & ab ipſa recedentes, & qui dant auxiliũ, conſilium & fauorem.

11\. Excommunicantur qui nocuerint S.R.E. Cardinalibus, & aliis Prælatis, eóſque ab eorum Diœceſi eiecerint, eorúmque fautores.

12\. Excommunicantur qui lædunt & fauent lædentibus eos, qui ad Romanam Curiam in negotiis ſuis recurrunt, vel per ſe, vel per alios.

13\. Excommunicantur qui appellant à grauamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum, ad laïcam poteſtatem.

14\. Excommunicantur quicunque executionem litterarum Apoſtolicarũ, aut aliarum expeditionum impediunt, & ad gratias impetrandas accedentes prohibent.

15\. Excommunicantur Iudices ſeculares, qui trahunt ad ſua tribunalia perſonas

Eccle

Eccleſiaſticas, quique tollunt, aut perturbant Eccleſiaſticam libertatem.

Excommunicantur, qui impediunt 16.
Prælatos omnes, & alios Iudices Eccleſiaſticos ordinarios, ne ſua iuriſdictione vtantur, quique illorum, & delegatorum iudicia eludentes ad cancellarias recurrunt.

Excommunicantur vſurpantes Sedis 17.
Apoſtolicæ, & quarumcumque Eccleſiarum iuriſdictiones, vel fructus etiam ſequeſtrantes.

Excommunicantur imponentes de- 18.
cimas, & alia onera perſonis Eccleſiaſticis, Eccleſiis, Monaſteriis, aut eorum fructibus.

Excommunicantur Iudices ſeculares, 19.
qui ſe interponunt in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus, contra Eccleſiaſticas perſonas.

Excommunicantur occupantes bo- 20.
na, aut terras Eccleſiæ Romanæ, & in illis ſupremam iuriſdictionem vſurpantes.

Cæterùm, à prædictis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando Eccleſiæ mandatis, & ſatisfaciendo,

cautione

cautione præſtita, abſolui poſſit, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum quibuſcumque perſonis Eccleſiaſticis, ſecularibus, & quorumuis ordinum, etiam Mendicantium, ac militiarum regularibus, etiam Epiſcopali, vel alia maiore dignitate præditis, ipſiſque ordinibus, & eorum Monaſteriis, Conuentibus, & domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hoſpitalibus, locis piis, necnon laicis, & Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cuiuſuis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacumque ſcriptura in genere, & in ſpecie conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum, niſi eis etiam caſus præcedentibus literis expreſſi comprehendantur.

Quòd ſi fortè aliqui contra tenorem præſentium tali excommunicatione, & anathemate laquearis, vel eorum alicui, abſolutionis beneficium impendere de facto præſumpſerint, eos excommunicationis ſententiâ innodamus, grauiùs contra eos ſpiritualiter, & temporaliter, prout expedire nouerimus, proceſſuri.

In expoſitione Bullæ nonnulla, & percinctè.

PRimò de nomine Bullæ: eſt enim Bulla nomen omonymum, variáſque ſignificationes habet, tamen vt impræſentiarum ſumitur, dicitur βέλα à dictione Græca βελὴ, quæ ſonat idem, quod *conſilium*, eo quòd ſoleat expediri cum conſilio, & matura deliberatione, & per eam exacta Papæ voluntas nobis innoteſcat: vt *Viuald. in Candelabro aureo, in explicatione Bullæ.* ex *Rebuffo in Praxi, 3. part. ſignaturæ in Bulla noua declaratione.* 1.

Dicitur prætereà Bulla iſta Cœnæ Domini, cùm ſummus Pontifex annuatim Romæ cum ſumma ſolennitate ipſam tamquam proceſſum, ſeu ſententiam ſuam excommunicationis reſeruatæ, contra varia delinquentium genera palàm pronunciari faciat coram ſe, & Cardinalium cœtu, numeroſa ibi multitudine aſtante, die Iouis ſeptimanæ ſanctæ, quo Chriſtus cœnam fecit Ieroſolymæ cum Diſcipulis ſuis. *Nauarr. cap. 27. Manualis, num. 53.* 2.

De fine, & intentione ipſius promulgationis, ſiquidem ſummus Pontifex 3.

ſic

ſic nobis innoteſcere facit ſuos proceſſus, ſeu generales ſententias, latas contra quaſcumque perſonas delinquentes, & contrauenientes, contentis in ipſa Bulla, in quantum violant vnionem (quæ in fidelibus requiritur cum Chriſto, & eius Vicario) per neceſſariam ad Religionis puritatem retinendam. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 18.

4. Quo tempore Bulla ipſa, ſeu huiuſmodi proceſſus inceperit, fertur à nonnullis incepiſſe anno Domini 1420. tempore Martini V. quo hæreſes Bohemorum in Concil. Conſtantienſi fuerunt damnatæ, *Iacobus de Graff. in deciſ. aur.* 1. *parte lib.* 4. *cap.* 18. *Sotus in* 4. *diſt.* 22. Alij, & melius, dicunt huiuſmodi proceſſus multò antiquiores fuiſſe; & ſummos Pontifices à multis antè annis ſolitos fuiſſe illam publicare. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 18.

Etſi nullus caſus ſit in ipſa Bulla Cœ-
5. næ Domini, quin annexam habeat excommunicationem Papæ reſeruatam, nihil certius tamen eſt ſummos Pontifices, illos caſus ſæpè mutaſſe, augendo aut diminuendo ſiue relaxando; ita vt ante vſum ipſius Bullæ perpauci caſus in ea contenti clauſulam reſeruationis habebant

bant, *Tolet. vbi ſuprà, lib. 5. Decretaliũ. tit. de hæreticis cap. 8. & 9. & tit. de Iudæis. cap. 6. & tit. de raptoribus. cap. 3,* imo *Sotus in 4. diſt. 22.* refert è Diuo Thom. ſolum ſex caſus Papæ tempore illius fuiſſe reſeruatos, & horum nullus in Bulla ipſa modò continetur, præter eum qui fertur contra falſificantes litteras Apoſtolicas.

Annis ſingulis Bulla ipſa Romæ publicatur, non quòd ipſa publicatio repetita multiplicet cenſuras in ea contẽtas, nec ſolum vt omnis prætextus tollatur ignorantiæ, ſed potiſſimum vt ſignificetur abſolutionem ipſarum cẽſurarum ſummo Pontifici de nouo reſeruari, & priuilegiis in contrarium datis tunc ſic derogari; vt qui voluerit ab ipſis abſoluere, vel annuatim petat poſt illius publicationem, poteſtatem à ſummo Pontifice, ſeu obtineat ſemel pro ſemper ſui de eo priuilegij confirmationem, & ſpecialem exceptionem ab illa generali reuocatione vita illius ſummi Pontificis comite duraturam. *Nauar. cap. 27. nu. 54. deciſ. aureis.* vbi ſuprà *Tolet. lib. 1. cap. 13. Collector in Compendio priuilegiorum Fratrum. minorum, verbo abſolutio ordinaria quoad Fratres, nu. 13.* 6.

Ex ipſa annuali publicatione argumentum 7.

mentum ſumpſerunt nonnulli Bullam Cœnæ Domini eſſe ab homine, & non à iure; cum à iure Bulla, ſeu excommunicatio obtẽta vnica publicatione ſit contenta, & ſemper ex ſe vigeat. Quare in hanc quæſtionem primò dicitur Bullam Cœnæ Domini, fuiſſe ſimpliciter ab homine, ſeu iudice, vſque ad Pium quintũ excluſiuè, cum eo mortuo ſummo Pontifice Bullæ conditore, ipſa deficeret & expiraret; ita vt qui impoſterum, & poſt eius obitum ſede vacante in eam deliquerint, non incurrerent illas cenſuras, & ſi illaqueati remanerent, qui viuente eo Papa in illam peccaſſent. Secundò quod à tempore ipſius Pij V. ex eius decreto poſteà ratificato per Greg. XIII. & Sixtum quintum, dicitur illam Bullam eſſe ſecundum quid, etiam à iure, & non ſolum ab homine, & ſic quaſi mixtam; ab homine quòd morte Papæ & legiſlatoris, & altero eius ſucceſſore creato illa ceſſet; à iure autem, quòd vim ſuam adhuc retinet mortuo Pontifice illo, & ſede vacante, donec ſcilicet alius Papa creatus fuerit, & alteram ſimul publicauerit, *Cand. aur. de excommunicatione in communi num. 53. & 54. Tolet. lib. 1. cap. 18. deciſ. aur. in expoſitione Bullæ, nu. 4.*

Quantum

Quantum ad excommunicationem 8.
quæ in fine Bullæ fertur, contra omnes Confeſſores, qui præſumpſerint abſoluere ab aliquo caſu in Bulla contento citra tenorem præmiſſum; primò obſeruandum eſt, non incidere in eam excommunicationem Confeſſarium, ſi id fecerit ſolùm ex ignorantia, obliuione, aliave cauſa probabili, cum præſumptio mortalis ad id requiratur, vti verba ſonant. Secundò quòd ſi quis præſumptuosè deliquerit, & in talem excõmunicationem inciderit, quod huiuſmodi excommunicatio non eſt reſeruata ſummo Pontifici, vti ſunt præcedentes in Bulla contentæ, cùm ipſa excommunicatio intra Bullam non fuerit incluſa, ſed poſt ipſam ſiue extra illam inſerta, vt quam doctè *Hieronymus à Sorbo in Compendio priuilegiorum Fratrum Minorum, verbo excommunicatio. Nauar. autem cap. 27. nu. 74. & Tolet. lib. 1. cap. 30.* idem affirmantes, aliam reddunt rationem, & communem, quòd ſcilicet ipſa excommunicatio ſit ab homine generalis, & non lata contra perſonam determinatam, quæ talis excommunicatio æquiparatur excommunicationi à iure ſine reſeruatione, ſicque poteſt ab alio quàm à ſummo Pontifice abſolutio eius dari & relaxari.

Ex

9. Ex §. Bullæ *Cæterum*, etiam in excõmunicationem incidit, qui in ipſo mortis articulo à prædictis ſententiis abſoluendo alium, formam abſolutionis ibi præſcriptam præſumptuosè non ſeruauerit, quæ eſt de cautione præſtanda, aſtandi ſeu obediendi Eccleſiæ Romanæ mandatis, & ſatisfactionem præſtandi iure requiſito; & hæc quidem vera ſi commodè fieri poſſunt. Etenim dum è contrario articulus mortis ita vrget, vt nihil horum fieri poſſit, abſolutio tunc ſimpliciter dari poteſt. *Tolet. lib.*1. *cap.*15. id inquam ſenſus naturalis innuit in §. notato, & quam doctè obſeruauit *Coſmas Philiarcus de officio Sacerdotis* 1. *parte lib.* 3. *cap.* 21. de tali abſolutione data in periculo mortis. *De Graſſis.* 1. *parte lib.* 1. *ca.* 15. *num.* 93.

10. Cùm præſuppoſita forma abſoluendi in ipſis caſibus requirat iuramentum, quod Confeſſarius extorqueat à pœnitente de ſtando mandatis Eccleſiæ, tale iuramentum etſi tunc fiat Deo mediãte Confeſſario, non tamen ſumendum eſt vt votum, ſed nuda promiſſio vel propoſitum firmum. *De Graff.* 1. *part. lib.* 4. *ca.* 17. *nu.* 4.

11. Multa & alia in Bullæ ipſius explanationem

tionem poſſent afferri, quæ ſatis colligi poſſunt ex lectione ipſius Bullæ, & inter alios, etſi breuiter, nominatim annotauit *Tolet. lib. 1. cap. 13.*

CAPVT III.

De caſibus Epiſcopalibus.

Quid ſit caſus Epiſcopalis propriè, & quid latè ſumpto nomine.

CASVS Epiſcopis reſeruati, tum ex conſuetudine, tum ex iure iam enumerandi ſunt, quales tamen vtplurimùm à Doctoribus recenſentur, licèt non ſemper Doctores in eis recenſendis conueniant. *Vide Gloſſam in Extrauag. Bonifacij VIII. Super cathedram. tit. de ſepulturis. & Gloſſam in cap. ſi Epiſcopus. in 6. de pœnitent. & remiſſ. Nauarr. cap. 27. Manualis, num. 256. Tolet. lib. 3. cap. 14. Viuald. in Candelabro aureo de abſolutione. à num. 26.*

Nomen *Caſus Epiſcopalis* propriè ſignificat peccatum, cuius abſolutio illi eſt reſeruata, ita diſtinctum à cenſura, commutatione, & diſpenſatione votorum,

torum, ſeu iuramentorum, abſolutione irregularitatum,& ſimilium,vt conceſſa facultate Epiſcopi alicui Confeſſario abſoluendi à caſu Epiſcopali,non neceſſariò ſequatur conceſſam fuiſſe de cæteris, etſi ſingula continenantur ſub poteſtate Epiſcopi iuridica; tamen latè ſumpto nomine ſub voce *Caſus* modò ſimul etiam intelliguntur cenſura,communicatio, & diſpenſatio illa Epiſcopalis ſupradicta.

Varia caſuum Epiſcopalium diuiſio.

CAſuum Epiſcopalium alij ſunt à iudice, ſeu ab homine, vti ſunt decreta, ſententiæ per Epiſcopum in aliquem latæ, item ex particulari,ſeu ſynodali conſuetudine:& de his nihil modò dicendum, cùm huiuſmodi ſint infiniti, incerti,particulares,adeò varij,quòd variæ ſint diœceſes, & variæ in exſtrepitu iuris proferuntur ſententiæ, ita vt certa regula de his dari non poſſit.

Caſus Epiſcopales ex communi, & antiqua conſuetudine.

1. PRimus eſt magia, ſortilegium,& veneficatio.

Fa

Falſificatio literarum, contractuum, 2.
cedularum, & aliorum inſtrumentorum, falſúmque teſtimonium.

Homicidium voluntarium, aut mem- 3.
brorum mutilatio.

Sacrilegium, ſeu furtum in Eccleſia 4.
commiſſum, maximè rei alicuius ſacræ.

Matrimonia clandeſtina, & contraria 5.
contra Eccleſiæ prohibitionem.

Decimas retinere, & iniuſtè Eccleſiæ 6.
bona ſibi vſurpare.

Peccatum Sodomiticum, beſtialita- 7.
tis, inceſtus, copulatio ſacrilega cum Moniali habita.

Cùm notorius ſepelitur hæreticus, 8.
excommuuicatus, & vſurarius publicus in loco ſacro: quod modò tamen locum non habet *per Extrauag. Martini V. Ad euitanda.* niſi huiuſmodi fuerint denunciati. Vide intereà *Toletum lib. 1. cap. 12.* aliud eſſe excommunicatum nominatim, aliud denunciatum.

De caſibus iure communi Epiſcopis reſeruatis.

PEccatum Clerici habens annexam irregularitatem, ita vt poſſit etiam abſolui à tali peccato, immò etiam ab

omni cenſura ei annexa, ſiue excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, etiam antequàm cum illo diſpenſetur ab illa irregularitate.

· Incendium datâ operâ factum, domorum, fructuum, & ſimilium, & ad id cõſilium, vel auxiliũ præſtitum: tales enim & complices eorum, ſunt ſic excommunicati ipſo facto, ſeu iure expreſſo.

Manuum violentarum iniectio in clericum, ſeu perſonam Eccleſiaſticã, (modò ſit læuis) nam enormis Papæ reſeruatur, vt ſuprà dictum eſt, imò mediocris, quamquam ſuperior poſſit ab ea etiam abſoluere, dum clerici qui ſe ſic affecerunt ſimul cum aliis collegialiter viuerent.

Diſpenſatio iuramentorum, votorum, exceptis quinque communiter Papæ reſeruatis: hoc tamen propriè non eſt caſus cùm non adſit peccatum in eo.

Abſolutio excommunicationis maioris, potiſſimùm de iure Papæ reſeruatæ, cùm talis abſolutio nonnullis ex cauſis conceditur inferiori; nam tunc per inferiorem Prælatum Epiſcopus, & non alius intelligitur dum iure id exprimitur.

Peccatum quoduis graue & enorme, publi

publicum,& ſcandaloſum,maximè quãtum ad forum cõtentioſum, ratione cuius peccati iure antiquo pœnitentia publica vel ſolẽnis imponebatur, etſi modò talis vſui non ſit,vel ſaltem rarò cùm pœnitentiæ (vt dicitur) ſint nunc arbitrariæ, hoc eſt potius arbitrio boni Cõfeſſarij quàm ex iure imponendæ.

Epiſcopus poteſt permutare votum arctioris regulæ in latiorem nondum profeſſis. *Azorius* 1. *parte lib.*11.*c.*17.

Præter ſuperiores caſus ſunt, & alij plures Epiſcopis reſeruati etiam iure ipſo.

QVoties in iure exprimitur, vt diſpenſari poſſit cum aliquo, & non exprimitur per quem debeat fieri diſpẽſatio, tunc videtur facultas diſpenſandi in eo caſu conceſſa Epiſcopis. *Tolet.lib.*1. *cap.*83.

Poſſunt Epiſcopi ipſo iure abſoluere ab omnibus excommunicationibus Papalibus,clauſulam reſeruationis nõ continentibus. *Nauar.cap.*27. *num.* 32. *Tolet. lib.*1.*cap.*10.

Poſſunt item abſoluere ab omnibus caſibus reſeruatis,etiam in Bulla Cœnæ

Domini contentis, dũ extat legitimum impedimentum, quominus ad ſedem Apoſtolicam, ſeu eius Legatum adiri non poſſit. *Nauar.cap.27.num.89.*

Poſſunt diſpenſare in impedimento matrimonium dirimente, cùm impedimentum eſt occultum, & manifeſtum eſt matrimonium, & ſeparatio non poſſet fieri ſine graui ſcandalo, & ad Papam ſeu eius Legatum recurſus haberi non poſſet. *Nauar.cap.22.num.85.*

Poteſt etiam Epiſcopus abſoluere ab excommunicatione cõtrahentem ſcienter in gradu prohibito, quia ſcilicet non reſeruata. *Nauarrus tit.de priuilegiis, conſil.1.*

Licèt Epiſcopus poſſet diſpẽſare eum qui contra votum caſtitatis contraxit matrimonium, ab obligatione petendi debitum, tamen qui contra votum ſimplex Religionis ſic contraxit, & cõſummauit, peccauit quidem, verùm non tenetur illa obligatione debitum petendi, nec opus eſt vt Epiſcopus eum in eo diſpenſet, quia ille non vouerat caſtitatem ſimpliciter, ſed conditionaliter, hoc eſt, quatenus in Religione eſſet ſeruanda. *Tolet.lib.7.cap.21.*

Vti poteſt Epiſcopus diſpenſare, &

commutare etiã quinque illa vota ſummo Pontifici reſeruata, dum ſcilicet ſunt conditionata, & pœnalia. *vide Toletum lib.4.cap.18.* Idque iure antiquo, etſi modò ſimpliciter reſeruentur ſummo Pontifici. *Azorius 1.parte lib.11.cap.19.*

Poteſt etiam Epiſcopus diſpenſare in in voto perpetuæ caſtitatis dũ extat periculum incontinentiæ, & non poteſt haberi recurſus ad Papam, ſeu eius Legatum. *Nauar. in manuali cap.12.num.76.*

Poteſt diſpenſare & commutare in illis tantum iuramentis, quæ ſi vota eſſent diſpenſaret, & non in aliis. *Tolet. lib. 4.cap.23.*

Poteſt Epiſcopus excommunicatus maiori excommunicatione abſolui ab ea (ſi Papæ non fuerit reſeruata) per Confeſſarium quem ipſe ſibi elegerit: Confeſſarius enim ille tunc in eum authoritatem habet à Papa ſeu Canone quaſi Epiſcopalem. *De Graff. 1. parte lib. 4.cap.15. num.74.* & ita eam poteſtatem à Papa ſeu Canone, vt non cenſendum ſit eam habuiſſe ab Epiſcopo, eo quòd eum elegerit, vel ei ſic ſe ſubmiſerit, nemo enim dat quod non habet; ita vt non facilis quæſtio ſit de Confeſſario, quem Papa ſibi eligit, vnde ſcilicet talis

Confeſſarius habeat poteſtaté eum abſoluendi, an ſcilicet ſolùm à Deo eam habeat, vel ab ipſo mediante Eccleſia ſeu concilio, an verò ab ipſo Papa qui dominus & diſpenſator eſt iuris poſitiui, quo reuocato omnis Sacerdos poſſet quemuis pœnitentem indifferenter abſoluere iure antiquo ante Vrbanum II. per quem Canon in contrarium editus fuerat relatus à Gratiano, *de pœnitentia diſtinct.5.cap.placuit*. Poterat, inquam, omnis Sacerdos anteà ſic abſoluere ex poteſtate, ſeu iuriſdictione, quam iure diuino in promotione Presbyteratus obtineat cum poteſtate ordinis, non ſolùm habitualem, vt modò, & reſtrictam, ſed actualem, & ad omnem pœnitentem indifferenter occurrentem. Hanc quæſtionem diffuſiſſimè tractat *Nauarr. in Commentariis ſuper caput Placuit de Pœnitentia.diſtinct.6.*

Poteſt Epiſcopus abſoluere ab excómunicatione pœnitentes, primò dum viuunt, ſeu mortui ſunt, dummodò ſigna contritionis anteà dederint. 2. Poſſunt & pariter abſoluere etiam impœnitentes, ſeu non reſipiſcentes, etiam inuitos & nolentes, ídque quidem quantum ad cenſuram, etſi non quantùm ad culpam

culpam & peccati pœnam : idque cauſæ eſt, quia cenſura ex ſe poteſt eſſe inuoluntaria, non autem culpa, & relaxatio fieri debet eiuſdem, dum videtur reo expedire, ne ſcilicet fiat peior, ſeu vt ſic alij cum eo licitè communicare poſſent. *Silueſter verbo abſolutio. 3. §. 10. de Graff. 1. parte lib. 4. cap. 16. num. 5.*

Poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto de matrimonio nunquam contrahendo, itẽ in voto Presbyteratus, ſeu ſacerdotij ex cauſa, cùm votum caſtitatis non ſit de eius eſſentia. *Nauar. de voto & voti redemptione.* Modò tale votum non fuerit iam ſolemniſatum per alicuius Ordinis ſacri ſuſceptionem; nam tunc eſt Papæ reſeruatum. *de Graff. 1. parte lib. 2. cap. 30. num. 21. Nauar. in manuali cap. 12. nu. 76. Viuald. in Candel. aureo. 3. parte de voto. num. 43. & Nauarr. tit. de voto & voti redemptione conſil. 32. num. 1. Tolet. libro 7. cap. 14.*

Poteſt Epiſcopus abſoluere ſuũ ſubditum, etiamſi in aliena diœceſi contraxerit excõmunicationem, contraueniendo ſtatuto prouinciali ſeu ſynodali illius diœceſis, quamuis confirmatũ fuerit per Papam, modò non habeat in ſe clauſulam reſeruationis. *Tolet. lib. 1. c. 18.*

Poteſt Epiſcopus examen alicuius ſibi commiſſum à Papa per alium exequi, ſiquidem verba ipſa *oneramus cõſcientiam tuam*, & ſimilia, ſunt potius monitionis quam legationis perſonæ factæ. *Nauar. de pœnit. & remiſſ. conſil.* 12.

Poſſunt Epiſcopi ſibi eligere Cõfeſſarium, vt habetur *extra. de pœnit. & remiſſ. cap. finali. & Nauar. de pœnit. & remiſſ. conſ.* 12. *nu.* 1. Tamen virtute iubilæi concedentis facultatem eligendi Confeſſorem, non poſſunt modò talem eligere, niſi ſit ex approbatis. *deciſ. aur.* 1. *parte lib.* 4. *cap.* 5. *nu.* 15.

Epiſcopus non poteſt diſpenſare circa ius commune ſine cauſa, id enim ſolus Papa poteſt, etſi id poſſit in iure priuato ſeu ſpeciali, hoc eſt, circa ſuam conſtitutionem ſynodalem, & ſimilem. *Nauar. cap.* 25. *nu.* 74.

Poteſt Epiſcopus diſpenſare in voto perpetuę caſtitatis, dum extat periculum incontinentiæ, & non poteſt haberi recurſus ad Papam, ſeu eius Legatum. *Nauar. cap.* 12. *num. & tit. de voto & voti redemptione. conſil.* 26. *nu.* 7. Sunt & alij plurimi caſus Epiſcopis iure ipſo conceſſi.

Caſus

Caſus Epiſcopales à iure nouo & ſpeciali, maximè è Concil. Trid. Seſſ.24. cap.6. liceat Epiſcopis.

Nauar.cap.27.à nu.107.Tolet.lib.1.cap 41. Viualdus in Candel.aur.tit.de diſpenſatione.

FAcultas Epiſcopalis in hanc partem, quantum ad forum interius, multum adaucta fuit in Concil. loco ſuprà dicto, vt quàm benè, etſi ſuccinctè, obſeruauit *Tolet. lib.*1.*cap.*83. adeò vt multa modò poſſint Epiſcopi in foro conſcientiæ, per Concilium, quam anteà eis fuerit conceſſum.

Verba Concilÿ & Seßionis ſuprà citatæ.

LIceat Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto prouenientibus occulto, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare: Et in quibuſcunque caſibus occultis, etiam Sedis Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos ſuos, in Diœceſi ſua, per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſoluere, impoſita pœnitentia ſalutari: idem & in hæreſis

crimine in eodem foro cõſcientiæ eis tantum, non autem in eorum vicariis ſit permiſſum.

In verba ſuprà dicta Concilij.

DVas potiſſimum & præcipuas clauſulas continent verba præmiſſa, quarum altera & prima eſt de poteſtate in Concilio Epiſcopis tradita, diſpenſandi ſuos ſubditos, in ſuſpenſionibus & irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, & in litigium non deducto, excepta ea quæ eſt ex homicidio voluntario: altera clauſula eſt de poteſtate quam Epiſcopus hinc habet abſoluendi ſuos ſubditos in foro conſcientiæ, ab omnibus caſibus reſeruatis ſummo Pontifici, etiam à crimine hæreſeos per ſe, non autem per Vicarium.

De poteſtate Epiſcopi ex Concilio, diſpenſandi in ſuſpenſionibus & irregularitatibus.

EX Concilio conceſſa eſt facultas Epiſcopis diſpenſandi in irregularitatibus prouenientibus ex delicto, nec quicquam ibi dicitur de irregularitatibus aliunde prouenientibus. Cauſa autem

tem ea notatur, quia irregularitates primę ſpeciei dicuntur ex accidenti; Secundæ verò ſpeciei, quæ nimirum ex defectu & non ex delicto proueniunt, ſunt ex natura, & naturalia minùs mutari poſſunt, quàm accidentalia. *deciſ. aur. 1.part. lib.1. cap.13.num.39.*

Cæterum non interdicta eſt Epiſcopis per Concilium facultas diſpenſandi, etiam in irregularitatibus ex defectu prouenientibus, & citra delictum, ita vt eam modò retineant, qualem ante Concilium habebant; vti exempli gratia, poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitate, quæ prouenit ex bigamia ſimilitudinaria, etſi non ex vera ſeu interpretatiua. *Nauar.cap.27.nu.*197. Poteſt ſimiliter diſpenſare cum illegitimo ad Ordines minores, & beneficia ſimplicia. *Viuald.in Cand.aur.vbi de ſuſpenſione,nu.*127. & ſic de multis aliis iure expreſſis.

Quotieſcunque ſuſpenſio eſt à iure, vel ab homine, & conditor canonis ſibi abſolutionem ſuſpenſionis non reſeruauit, poterit Epiſcopus abſoluere. *Viuald. de ſuſpenſione,nu.*180.

Poteſt diſpenſare Parochum à ſuſpenſione, quam incurrerat coniungendo matrimonio ſponſos alterius Parochi

ſine eius licentia, ſi delictum occultum eſt. *Viuald.eodem tit.nu.*127.

De irregularitate ex delicto malè ſumendi Ordines.

EOdem iure poteſt diſpenſare in ſuſpenſione & irregularitate, occultè prouenientibus ex delicto malè ſuſcipiendi Ordines, ídque ſaltem quantum ad partes multùm Roma diſtantes, etſi aliter ſecundum ſtylum & praxim Curię in partibus Italicis, & cùm facilis acceſſus poteſt haberi ad ſummum Pontificē. *de Graff.*1.*parte.lib.*4.*cap.*27.*nu.*80. Delictum autem malè ſuſcipiendi Ordines multis modis contingit, nimirum, cùm quis eos ſuſcipit ab alieno Epiſcopo ſine litteris dimiſſoriis, vel extra tempora, ſine vero titulo, & ante ætatem per Concil. modò præſcriptam, vti ad ſubdiaconatum requiritur annus vigeſimus ſecundus ſaltem inchoatus, ad diaconatum 23. ad Presbiteratum 25. ita vt ſi quis vno illorum ſacrorum Ordinum fuerit initiatus ante ætatem illam, de iure ſit ſuſpenſus ab executione illius Ordinis, & ſi ita ſuſpenſus ſe abſtinuerit donec attigerit ætatem perfectam, ſu-

ſpenſio

ſpenſio tũc expirat:ſi autem exercuerit talem Ordinem ante ætatem illam fit ipſo facto irregularis;in qua tamen irregularitate poteſt Epiſcopus (vt dictum eſt) diſpenſare ſuum diœceſanum, dummodò ipſa irregularitas fuerit occulta. *Nauar.cap.27.nu.241. ex Concilij Seſſ. ſuprà dicta.* vbi intereà obſeruandum prædictum Concilium in eo ſolum ratificaſſe Bullam,ſeu Conſtitutionem Pij II. hac de re editam, in qua cùm eſſet clauſula *Si quis præſumpſerit*; hinc colligitur, qui ante ætatem Ordinem ſacrum ſumpſerit citra omnem præſumptionem,ſed bona fide,ſine dolo,& fraude,talem non incurriſſe ſuſpenſionem, nec irregularitatem, cum ignorantia probabilis talem excuſet. *Nauar.Tit.è temp.Ordi. conſil.50. & in Manuali cap. 27. nu.155. Tolet. lib.1. cap.11.de Graff.1.parte lib.4.cap.27.nu.20.* Verùm quia Eccleſia de occultis non iudicat, ſed benè de apparentibus, ſic cum talis eſſet ſuſpenſus, ſeu irregularis, quoad (vt dicunt) ad alios,& non quoad ſe, ſibi cauendum erit de abſolutione illius cenſuræ, ad euitandum iudicium Eccleſiaſticum: quare ſi delictum fuerit occultum,poteſt in eo diſpenſari ab Epiſcopo; ſi autem notorium, petenda eſt.
diſpen

diſpenſatio à ſummo Pontifice, ſeu eius Legato: ordinatus ad ſacros ordines extra tempora poſt pœnitentiam, cum eo diſpenſat Epiſcopus iure antiquo, vt habetur *lib. 1. Decretalium, tit. de tempore ordinationum. cap. 16.*

De irregularitate ex homicidio voluntario, illicito, caſuali, & neceſſitatis.

DE irregularitate ex homicidio voluntario non poſſe Epiſcopum diſpenſare apertè verba Concilij demonſtrant, intereà ad maiorem rei intelligentiam non ſolùm conſulendi erunt Auctores ipſi, *Nauarr. in Manuali, cap.* 27. *num.* 240. *Viuald. in Candelabro aureo, tit. de irregularitate. in deciſionib. aureis 1. part. lib. 4. cap. 27. & maximè Tolet. lib. 1. cap.* 82. ſed etiam referenda ſunt verba Concilij, quæ hac de re alibi habentur, nempe *ſeſſ. 14. de reformatione. can. 7.* quia plurimum in hanc rem conferunt, hæc autem ſunt: *Cùm etiam qui per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari auelli debeat, qui ſua voluntate homicidium perpetrauerit, etiamſi crimen id nec ordine iudiciali probatum, nec alia ratione publicum, ſed occultum fuerit, nullo tempore*

tempore ad ſacros ordines promoueri poſſit, nec illi aliqua eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam animarum non habeant, conferre liceat; ſed omni ordine, ac beneficio, & officio eccleſiaſtico perpetuò careat. Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vim vi repellendo, vt quis à morte ſe defenderet, fuiſſe commiſſum narretur, quam ob cauſam etiam ad ſacrorum ordinum, & altaris miniſterium, & beneficia quæcumque, ac dignitates iure quodammodò diſpenſatio debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex cauſa Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo, qui non niſi cauſa cognita, & probatis proceſſibus, ac narratis, nec aliter diſpenſare poſſet. Ex quibus verbis totius quæſtionis dilucidatio colligitur per ſequentes concluſiones.

Primò, quòd hîc non agitur de homicidio voluntario licito, quod irregularitatem ſecum adfert ex defectu perfectæ leuitatis, de qua alibi; ſed de homicidio voluntario, & illicito, quod ſcilicet prouenit ex delicto. 1.

Nota ex Toleto, *lib. 1. cap. 79.* non occidi inuaſorem licito homicidio, cùm iniuria laceſſitus ſic ad arma fuerit prouocatus, quòd ipſe occiſor, & prouocator ei prior cauſam iniuſtam dederit, 2.

&

& per conſequens occidendo incurrerit irregularitatem ex homicidio voluntario,& illicito.

Neque minùs ſermo hîc habetur de homicidio voluntario, & licito, quod contingit cum moderamine inculpatæ tutelæ, quod nec peccatum, neque irregularitatem vllam ſecum continet: requiritur tamen diſpenſatio (quoad forum fori) declaratio rehabilitationis per cauſæ cognitionem. *Viuald. in Candelabro aureo, tit. de irregularitate. 3. part num. 42.*

Intelligitur ergo Concilium de homicida voluntario illicito, cum quo ante Concilium Epiſcopus poterat diſpenſare, ſi Clericus ille eſſet tonſuratus ad ſimplex beneficium habendum, ad beneficium curatum non quidem habendum, ſed iam habitum exercendum, ad minores ordines ſuſcipiendos, ad maiores iam ſuſceptos exercendos, ſi homicidium tale eſſet occultum.

Poſt Concilium non poteſt Epiſcopus ex ſupradictis vllo modo diſpenſare in homicidio voluntario illicito, etiam occulto, quamuis per ſimile homicidium beneficium anteà obtentum ipſo iure non admittatur, modò homicidium

tale

tale non ſit qualificatum, & circumſtantia adſit iure ipſo expreſſa, quæ ipſo facto ſecum adfert priuationem beneficij iam obtenti, vt in quatuor ipſis caſibus, *Si occiderit Chriſtianum per aſſaſſinationem, Cardinalem, Epiſcopum, aut alicuius Eccleſiæ Rectorem.*

Diſpenſat Epiſcopus ex Concilio non ſolùm in homicidio caſuali, ſed etiam cùm in ſui defenſionem non ſeruatum fuerit moderamen inculpatæ tutelæ, ſed limites illius exceſſerit: quod aliter dicitur homicidium neceſſitatis, vti etiam cùm quis poterat fugere, etſi non tenetur fugam arripere, aut qui in defenſionem rerum ſuarum temporalium, aut in defenſionem ſuorum parentum, amicorum, proximorum, cùm per Concilium non derogetur iuri communi, quo poterat Epiſcopus diſpenſare, ſi delictum fuerit occultum. *Armill. verbo homicidium. §. 3. Gloſſ. cap. ſignificaſti. de homicidio.*

Quid ſit delictum occultum.

DElictum occultum quantumuis ſit enorme, non inducit irregularitatem, niſi iure id ſit expreſſum. *Tolet. lib.* 1.

cap.

cap. 68. Dum autem iure exprimitur, contrahit irregularitatem. Sufficit ſæpe, vt delictum, ſeu peccatum ſit veniale, vti de irregularitate ex homicidio caſuali, dum opera daretur rei illicitæ. *Azorius* 1.*part. lib.*5.*cap.*6.

Supereſt videre, quid ſit ipſum delictum occultum, cùm ſolùm Concilium Epiſcopis concedat facultatem diſpenſandi in ſuſpenſionibus, & irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, & in forum litigioſum non deducto: quare de his conſulendi ſunt *Nauarr.cap.*25.*num.*73.*cap.*27.*num.*250. *tit.de priuilegiis. num.*2. *Tolet.lib.*1.*cap.*68. *&* 83.*De Graff.in deciſionib. aureis*, 1.*part. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 43. *Viuald. in Candelabro aureo*, 2.*part.tit.de excommunicatione.*
1 *num.*42.Ex quorum relatu occultum delictum dicitur, quòd ſcilicet non eſt notorium, etiamſi probari poſſit per multos teſtes: non ſufficit enim eſſe diuulgatum, & quòd non ſolùm factum ſit publicum, ſed etiam publicè ſciri tale eſſe, immò etſi multi ſciant eſſe delictum, & fieri videant, ſi neſciant ex eo incurri irregularitatem, ſeu talem cenſuram: vti de Clerico celebrante ante ætatem, cùm tunc aſtantes, & id ſcientes, igno

ignorant tamen inſequi irregularitatem. *Nauarr. in Manuali, cap. 27. num. 241.* Sícque poterit Epiſcopus ab ea diſpenſare. Dicitur etiam caſus occultus, 2.
qui etſi in forum litigioſum fuerit deductus, adhuc tamen iudicialiter non eſt talis declaratus, etſi per tres, aut quatuor teſtes probari poteſt: ita vt ſi reus in foro exteriori cauſam per falſos teſtes vicerit, poteſt tunc ſecundùm quoſdam ab Epiſcopo diſpenſari, cùm deficiente requiſita notorietate, caſus adhuc maneat occultus, & nulla ratio reſeruationis ſummo Pontifici debita appareat. *Vide Viuald. & de Graff. vt ſuprà.*

Delictum dicitur notorium non ſo- 3.
lùm notorietate iuris, (vt ſuprà) ſed etiam notorietate facti: idque tripliciter, ſcilicet per ſententiam Iudicis, per confeſſionem rei, & euidentiam facti. *Gloſſa in cap. finali. tit. de tempore ordinationum.*

Si Epiſcopus diſpenſauit in irregu- 4.
laritate ex delicto occulto nondum deducto in forum contentioſum, licèt poſteà deducatur, valebit ipſa diſpenſatio ſaltem in foro interiori. *Tolet. lib. 1. cap. 83.*

Quòd Epiſcopus poſſit iure antiquo 5.
diſpen

diſpenſare Clericum in ſuſpenſione ex concubinatu etiam notorio, ſi modò anteà pœnitentiam egerit, & ſacrũ ordinem non exercuerit. *Viuald.tit.de ſuſp. à num.*19. Sin verò ordinem ſacrũ exercuerit, incurrit irregularitatem, in qua Epiſcopus non poſſet diſpẽſare. *Nauar. tit.de ſententia excommunicationis conſil.*66. *num.*2. In cuius articuli expoſitionem, qui eſt de ſuſpenſione Clerici ex concubinatu notorio, hæc inſerũtur. 1. vt habetur *cap.quæſitum, de cohab. Cleric. & mulier.* Clericus notorius eſt ſuſpenſus ipſo iure. Quis autem ſit Clericus notorius in eodem capite explicatur, nempe, quãdo delictum eſt notũ per confeſſionem factam in iudicio, aut per ſententiã, vel per facti euidentiam, quæ tergiuerſatione aliqua celari non poteſt, & in tali notorietate non requiritur citatio nec declaratio, licèt de conſuetudine fiat teſte Couarruu. 1. *parte releɫt.* §.1. Quando autem non eſt notorius, eſt quidem ſuſpenſus quoad ſe, non tamẽ quoad alios. 2. Etſi concubinarius differat à fornicario, quia ille abutitur certa aliqua fœmina, ſiue ſoluta ſiue non, tenendo eam ad vſum venereũ modo vxorio: ipſe verò fornicarius eſt, qui vagatur abutendo

hac vel illa, tamen quantum ad ſuſpenſionem vtriuſque eſt eadem ratio. *Nauarr. in ſumma cap. 25. num.* 77. 3. Quod talis ſuſpenſio eſt à iure illo antiquo expreſſo, *cap. nullus, cap. præter, & cap. ad hoc, & cap. finali de cohab. cleric. & mulierum.* Et licèt nonnulli teneant cõtrarium, & tale non eſſe ſuſpenſum, ſed ſuſpendendum, communis tamen opinio affirmaſſe tenet. 4. Quoad ſuſpenſio non ſolùm eſt ab officio, ſed etiam à beneficio vt notat *Panormitanus, cap. veſtra, tit. ſuprà dicto. & Archidiaconus. cap. præter.* ſícque hinc colligitur non ſolũ prohiberi exercitium officij, ſed etiam fructuum beneficij perceptionem, idémque habetur *Canone ſi quis à modo, diſtinct.* 8. 5. Quòd ex iure nouo per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 25. *cap.* 14. ſuprà dicta ex Concilio hæc colligantur, nempe quòd Clericis prohibetur ne concubinas vel alias mulieres de quibus poteſt haberi ſuſpicio, in domum vel extra domum detineant, aut cum illis vllam conſuetudinem habeant: alioquin pœnis à ſacris Canonibus & ſtatutis Eccleſiarum impoſitis puniantur: & ſi à ſuperioribus moniti ab his ſe non abſtinuerint, tertia parte fructuum, obuentionum, ac pró-

uentuum ſuorum beneficiorũ, quorumcunque, & penſionum ipſo facto ſunt priuati, quæ fabricæ Eccleſiæ vel alteri pio loco arbitrio Epiſcopi applicentur: ſin verò in delicto eodem cum eadem, vel alia fœmina perſeuerantes, ſecundę monitioni adhuc non paruërint, non tãtùm fructus omnes ac prouẽtus ſuorum beneficiorum, & penſiones ipſi amittant prædictis locis applicandas, ſed etiam à beneficiorum adminiſtratione, quoad ordinarius vt Apoſtolicæ Sedis delegatus arbitrabitur, ſuſpendatur. Quin etiá ſi ita ſuſpenſi nihilominus eas non expellant, aut cum eis etiam ſic verſentur, tunc beneficiis, penſionibus, & officiis, portionibus quibuſcunque Eccleſiaſticis perpetuò priuentur, ac in poſterum quibuſcunque honoribus & dignitatibus, beneficij & officij inhabiles & indigni reddantur. *Tolet.lib.*1.*cap.*47. Ex quibus ſingulis facilè colligi poterit in Cõcilio Tridentino, vti iure recentiori, non imminutas fuiſſe pœnas contra concubinarios & fornicarios iure antiquo inflictas, ſed grauioribus pœnis eis adhibitis fuiſſe adactas, *vt Tolet. vbi ſuprà.* Sic poteſt Epiſcopus diſpenſare in irregularitate ex delicto, etiam notorio, cùm ſci-

licet

licet quis eam incurrerit malè ſuſcipiẽdo ſacros Ordines inhibitione præcedente,ne quis eos ſic acciperet ſub pœna excommunicationis. *Tolet. libro* 1. *cap.* 48.

De poteſtate Epiſcoporum ex Concilio abſoluendi ab omnibus caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, vt ſuprà relatum eſt, ex ſeſſ. 24. capite 6.

PRimò ex verbis ſeſſionis ſuprà dictę, variæ colliguntur concluſiones, ſeu appendices. Prima quòd omnes Epiſcopi poſſunt à quibuſcunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis delinquentes, quoſcumq; ſibi ſubditos, in Diœceſi ſua abſoluere in foro conſcientiæ: ſubditi autem Epiſcopi dicuntur etiam foranei,qui habitant per maiorem anni partem in Diœceſi illius,aut qui ceperint ibi habitare animo perpetuò in ea manendi, ſic enim videntur domicilium ibi contraxiſſe. 1.

Licèt Monachus ſit in ea Diœceſi,nõ tamen dicitur ſubditus Epiſcopi,quia eſt perſona exempta priuilegio, cui tamen ſi voluërit renuntiare, & ſe ſubmittere Epiſco 2.

Epiſcopo, poterit tunc Epiſcopus vti in illum poteſtate diſpenſandi, quam Concil. Trident. ei conceſſit in ſubditos. *Nauarrus tit. de offic. iudic. ordinarij conſilio* 8. *num.* 1.

3. Poſſunt etiam (citra tamen verba Cõcilij ab iiſdem caſibus alienos, ſeu alterius Diœceſis abſoluere, ídque non ſolùm ex communi conſuetudine, ſed etiã ex licẽtia Superiorum illorum, ſi nõ expreſſa, ſaltem tacita, cùm ſcilicet Epiſcopi cæteri id videntes non reclament, ſed tolerent.

4. Poteſt Epiſcopus etiam ſubditos ſibi hæreticos occultos abſoluere, & reconciliare, ſaltem ex conſuetudine. *Nauarr. de conſtitutionibus q.* 14. *num.* 41. ídque in foro conſcientiæ, & interiori, vt idem *Nauarr. tit. eodem. q.* 48. vbi intereà obſeruandum eſt hæreticum triplicem dici mentalem, vocalem, ſeu externum, & ex vtroque compoſitum: quòd hæreticus ſolùm mentalis, qui ſcilicet ſolâ mente hæreſim conceptam retinuit, & nullo verbo ſeu opere eam expreſſit, non incurrit excommunicationem vllam; nec etiam hæreticus ſolùm externus, (qui ſcilicet verbo vel opere ſe hæreticum protulerit; etſi mente nullam conceperit

hære

hæreſim)non incurreret excommunicationem in Bulla Cœnæ Domini expreſſam, quanquam præſumptione iuris in foro exteriori pœnis iuris hæretico debitis poſſet plecti; & ſic ſolum Conciliũ intelligendum eſſe de hæretico qui mẽte, verbo, vel opere, ſuam profeſſus fuerit hæreſim. *Nauar.cap.24.cap.xj.*

Etſi ex verbis Concilij non poſſit Epiſcopus abſoluere talem hæreticũ per Vicarium ſuum, quanquam à cæteris caſibus per eundem id poſſet, tamen id etiam poteſt per Vicarium, non quidem vniuerſalem, ſed ſpecialiter ad id deputatum, vna aut altera vice occurrente, & legitima cauſa interpoſita, cùm ſcilicet vrgeret infirmitas pœnitentis, magna inſtaret verecundia, & diſtantia nõ parua eſſet à loco Epiſcopi. *Nauar. tit. de conſtitutionibus q.48. & tit. de ſententia excommunicationis, conſil. 15.* 5.

Dictum eſt poſſe talia Epiſcopum in foro conſcientiæ, quia ſcilicet ſic abſolutus, pro non abſoluto in foro exteriori haberi poteſt. vide *Nauarrum in Commentariis ſuper cap. ſi quis autem. de pœnitentia, diſtinctione 6. num. 37. Nauarr. de ſententia excommunicationis, conſil. 15. numero 2.* Eſt autem forum conſcientiæ, 6.

(vt in hoc loco ſumitur) non ſolùm forum pœnitentiale quod ſcilicet pœnitẽs ſacramentaliter abſoluitur, ſed etiam forum ſecretum, vnde cùm talem poteſtatem Epiſcopus habeat abſoluendi ab excommunicationibus, poteſt abſoluere iuridicè etiam extra confeſſionem ſacramentalem, ſicque Vicarius illius, etſi ſacris ordinibus non eſſet initiatus, quanquam neuter illorum poſſet abſoluere à culpa, propter quam incurſa eſt illa excommunicatio, niſi fuerit Sacerdos, & in foro pœnitentiali audita confeſſione, vt intelligendum eſt de omni Confeſſario cui Epiſcopus tunc vicem ſuam tradiderit, abſoluendi nempè aliquem à culpa, quem anteà à cenſura abſoluerat, audita nempè confeſſione ſacramentali. *Decis. aur. 1. parte, lib. 1, cap. 13. num. 32, & libro 4. capite 15. numero ſecundo. Nauarrus capite 27. numero 41.*

7. Poteſt intereà obſeruari dum de foro interiori vel exteriori agitur, quod forũ vel forus eſt locus litium exercẽdarum; à fando dictus vel à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dediſſe creditur. *lib. 5. Decretalium tit. de verborum ſignificatione, cap. 20.*

Demùm

Demùm colligitur hanc Epiſcoporum poteſtatem(quia delegabilis eſt)etiã ex Concilio eſſe concreditam dignitati illorum, & ex officio iuxta ius commune & antiquum, ſeu ex priuilegio per Concilium ita conceſſo, cum ea intereà reſtrictione ibi poſita, quod poſſit in ſingulis, etiam per vicarium, excepto hæreſis crimine, eo modo quo ſuprà. *Tolet.lib.1.cap.83. Nauarr. de conſtitutionibus, q.48.de ſententia excommunicationis,conſil.15.num.3.* 8.

In maiorem intelligentiam ipſius facultatis, Epiſcopis per Concilium traditæ, tres adhibentur quæſtiones præter ea quæ iam dicta ſunt.

PRIMA QVÆSTIO.

*Vtrum derogatum ſit ber Bullam Cœnæ Domini facultati, ſeu priuilegio Epiſcopis conceſſo in Concil.*ſeſſ. 24.c.6.iam expoſita.

QVæſtio huiuſmodi inter Doctores multos problematicè agitatur, &

rationes in vtramq; partem breuiter citantur per Hieronymum à Sorbo in ſuis Annotationibus, in Compendio priuilegiorum, in materia abſolutionum quoad Fratres & quoad ſæculares, etſi parti affirmanti vt tutiori ipſe adhæreat, partémque ipſam ſequuntur *Toletus lib. 1. cap. 41. de Graff. in deciſ. aur. 1. p. libr. 1. cap. 13. num. 30. Viuald. in ſuo Candel. aur.* vt ſecundæ editioni eſt nouiſſimè typis mandatum. *Nauarrus in Manuali, cap. 27. num. 272.* & communiter cæteri, qui nouiſſimè hac de re ſcripſerunt. Intereà non deſunt quàm graues authores, qui partem negantem propoſitæ quæſtionis ſequantur, innixi rationibus non infirmis, ſed validiſſimis, vti videre licet etiã apud *Viualdum in Candel. aureo. 1. editionis*, vbi ipſe præ cæteris partem ipſam negantem confirmat, & potiſſimùm quantum ad argumentum partis aduerſæ præcipuum & quaſi fundamentale deſumptum ex §. Bullæ Cœnæ Domini.

Cæterùm quo fertur vt à prædictis ſententiis (hoc eſt à caſibus in Bulla contentis) nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in articulo mortis conſtitutus abſolui poſſit etiã

qua

quarumuis facultatum prætextu, & indultorum quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis per nos, & Sedem Apoſtolicam, ac cuiuſuis Concilij decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque ſcriptura in genere & in ſpecie conceſſorum & innouatorum, niſi eis etiam caſus præſentibus & expreſſis litteris cõprehendantur. Reſpondet enim *Viualdus titulo de abſolutione, numero 13. & in explicatione Bullæ Cœnæ Domini, numero* 141. quòd etſi Papa in *ſuperiori* §. *dicat nullum*, in caſibus Bullæ poſſe abſoluere etiam prætextu cuiuſuis Concilij, non tamen perinde includi in hac derogationis clauſula Concil. Trident. quia quando Papa diſpenſat in lege alicuius grauis Concilij communi ſtylo requiritur vt ſpecialiter exprimat ſe derogare decreto talis Concilij, præſertim dum Concilium recenter eſt celebratum, vt eſt Tridentinum, quod ipſimet Pontifices etiam innuere videntur Concilio poſteriores: dum enim confirmant indulta, ſeu priuilegia Religioſorum, ſeu aliorum, vti ſolent clauſula ipſa, *dummodo talia priuilegia canonibus decretiſque ſacri Concilij Tridentini non ſunt contraria.* Et Gloſſa in Extrauagant.

de officio Delegati Sedis Apoſtolicæ, per conſtitutionem Principis non derogari priuilegio, ſtatuto, aut conſuetudini, niſi exprimantur nomina: tum Nauarrus in ſuis Conſiliis, quæ in lucem edita fuere, dum ipſe Romæ degeret, & conſultus talia reſponſa daret longè poſt editionem ſui Manualis, *tit: de ſententia excommunicationis*, *conſil.* 43. declinans in hanc partem negantem, docet poſſe Epiſcopum à caſibus & cenſuris abſoluere modò & poſt Cõcilium, vt ante illud in foro conſcientiæ, etiam quantum ad caſus Bullæ Cœnæ Domini, ſaltem excepta hæreſi, imò vt aliàs ſuprà notatum eſt *ex tit. de Conſtitutionibus, quæſtione* 14. *numero* 41. *& quæſt.* 48. affirmarit Epiſcopum poſſe hæreticum abſoluere, & reconciliare, in conſilio autem 15. *titulo de ſententia excommunicationis*, hanc quæſtionem ex profeſſo agitans, qua nempè quæritur an facultas Epiſcopis, per Concilium Tridentinum *cap.* 6, *ſeſſ.* 24. conceſſa per Bullam ſit derogata? Primò reſpondet certiorem ſe factum fuiſſe de concluſione ſacræ Cardinalium congregationis recepta, ſuper non permittenda Epiſcopis facultate abſoluendi ab hæreſi in fo-

ro

ro conſcientiæ ; quam eis Concilium Tridentinum fecerat) ſe tamen interrogatum à quibuſdam eruditiſſimis Orbis noui Confeſſariis, quorum quidam præſupponunt Epiſcopos habere hanc poteſtatem, vix ſe audere definitè reſpondere, ſéque optare vt ſummus Pontifex hac de re ſuam mentem denuò planam faceret, referens ad hæc argumenta, in partem negantem ſibi propoſita, quorum primum eſt.

Quia difficilè crederetur ab eis, quòd multis rationibus concluſum fuerit, non conuenire vt relinquatur Epiſcopis facultas præfata, cùm nuper Concilio vniuerſali apparuerit id conuenientiſſimum. 1.

Quia, vt audio, Epiſcopi cœperunt ea vti, & non facilè à ſuo vſu tanti Concilij authoritate nitentes retrahentur. 2.

Quia vident apparuiſſe in vrbe conueniens, vt Confeſſarij per cruciatam electi abſoluant ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ Domini, quorum vnus eſt hæreſis, quando in cruciata non excipitur. 3.

Quia moleſtè ferrent omnes Epiſcopi omnium Regnorum Caſtellæ, & ei annexorum qui ſunt plurimi, vt eis au- 4.

ratur præfata poteſtas, & eadem concedatur omnibus Confeſſariis ſubditis eorum per crutiatam electis, qui ſunt innumeri.

5. Quia licet Epiſcopi Italiæ qui proximi ſunt vrbi, ſatis æquo animo ob præſentiam ſanctiſſimi Domini noſtri, illam ſint laturi, Epiſcopi tamen Germaniæ, Belgij, Galliæ, & Hiſpaniæ, & orbis noui, qui longiùs à ſua Sanctitate abſunt, non videntur tam facilè ferri poſſe.

6. Quod audio (inquit ille) quoſdam in Hiſpaniis in libris authoritate Concilij ſupremi Regis typis excuſſis, præſupponere illam facultatem Epiſcopis ineſſe.

7. Quod ſint qui dicant per Bullã Cœnæ non derogari ei, cùm videant non derogari poteſtati Inquiſitorum, qui nonobſtante illa paſſim abſoluunt ab hæreſi, & non excipiuntur in præfata Bulla pluſquàm Epiſcopi, & conſtat poteſtatem illam non fuiſſe datam eis à maiore quàm Epiſcopis, cùm fuerit data à ſolo Papa, Epiſcopis autem à Papa &
8. toto Concilio.

Tum quia ſicut non omnes Deciſiones Rotæ quæ placẽt vrbi, placent & toti orbi, ita fortè nõ omnes rationes, quæ viden

videntur validiſſimæ aliquibus Congregationibus vrbis, videbuntur tales omnibus Academiis, & Regum prætoriis, quæ Parlamenta, & Cancellarias vocant.

SECVNDA QVÆSTIO.

An derogetur ſupradictæ poteſtati Epiſcoporum in Concilio Tridentino expreſſæ per conſtitutiones ſummorum Pontificum, etiam poſt Concilium promulgatas, quæ clauſulam derogatoriam habent, Non obſtantibus. *& huiuſmodi.*

TOletus *lib.*1.*cap.*41. *de Graff.*1.*part. lib.* 5.*cap.* 27.*num.* 30. affirmatè tenent, & dicit Toletus ſic fuiſſe deciſum in Rota, & talem curiæ Romanæ ſtylum eſſe, ex quo colligi poteſt numeroſam huiuſmodi conſtitutionum multitudinem ſupradictæ poteſtati derogare, ſícque Epiſcopum non poſſe abſoluere ab excommunicationibus modò ſubſequentibus, quia huiuſmodi clauſulam derogatoriam habent, qualis nempe eſt, quam Gregorius XIII. *conſtitutione* 36. edidit contra mulieres Monaſteria Religioſorum ingredientes, & ea, quam ipſe tulit, *conſtitutione* 13. contra in-

gredientes Monaſteria Monialium, vti etiam eſt, quæ lata fuit per Pium V. *conſtitutione* 87. contra ſimoniacos confidentarios; & ea, quæ continetur *in conſtitutione* 5. eiuſdem Pij contra quoſuis alios, qui ſimoniam commiſerint in ordine, ſiue in beneficio; tum ea, quam Sixtus V. in conſtitutione, quæ dicitur, *Effrænatam.* contra procurantes aborſum, maximè ſi de facto ſubſequutus fuerit, fœtu iam animato; & ea, quam Clemens VIII. ratificauit, anteà edita contra duellum committentes, cùm huiuſmodi excommunicationes clauſulam derogatoriam habent, *Non obſtantibus.* vt videre licet de his, & aliis plurimis, potiſſimùm in magno Bullario. Nauarrus hanc quæſtionem proponens *tit. de ſententia excommunicationis. conſil.* 43. etiam affirmatè reſpondet, dum dicit Epiſcopum poſſe quidem vti facultate ſibi data in Concilio *ſeſſ.24.cap.licet.*Epiſcopis, prӕterquàm in caſibus reſeruatis, cùm clauſula derogatoria, ſi quæ ſit contenta in conſtitutionibus, etiam poſt Concilium promulgatis: per eam enim ſufficienter tunc derogari præfato Concilio Tridentino. Id intereà difficultatis colligi poteſt ex loco Nauarri ſupra-

dicto,

dicto, cùm ſpecialiter proponat, *An conſtitutio promulgata anno* 1580. *contra receptatores bannitorum, tam dictæ Epiſcoporum facultati deroget?* Tandem reſpondet negatiuè, cùm (inquit) præfata Extrauagans, ſeu conſtitutio nullam habeat clauſulam ad id derogatoriam. Cæterùm dicta conſtitutio ea eſt, quæ emanauit à Gregorio XIII. *conſtitutione* 66. cùm illa, & non alia contra receptatores bannitorum fuerit promulgata anno (vt ille citauit) 1580. in ea autem clauſula eſt derogatoria per vocem *Non obſtantibus* expreſſa, vt videre eſt, in Bullario. Quare Nauarri reſponſio ſupradicta difficultatem adauget quæſtioni, & videtur velle clauſulam derogatoriam, aliam tunc quærendam eſſe, quàm quæ communiter voce *Non obſtantibus* exprimitur: ea autem, vix alia excogitari non poteſt, quàm quæ habetur in Gloſſa ſuper Extrauagantem *de officio Delegati. lib.* 1. *Extrauagantium communium.* quæ fertur, conſtitutionem Principis, quantumcumque publicè, & ſolenniter edita fuerit, etiamſi omnes nonobſtantias, ſeu derogationes abſolutè contineat, non tollere ſpecialia priuilegia, ſtatuta, vel conſuetudines, niſi expreſsè talia per

eam tollantur. Quæ deſcriptio clauſulæ derogatoriæ, ſi locum habet, negatiuè reſponderi poteſt, nempe poteſtati Epiſcoporum in Concilio datæ non derogari per Pontificias conſtitutiones, etiamſi clauſulam derogatoriam habeant per vocem *Non obſtantibus* expreſſam, ſi nimirum etiam expreſsè mentionem non faciant ipſius facultatis, ſeu priuilegij Epiſcopis per Concilium conceſſi.

TERTIA QVÆSTIO.

An tollatur Epiſcopis ſupradicta facultas in Concilio Tridentino conceſſa, per clauſulam illam derogatoriam, qua dicitur in Bullis, vt nemo in his caſibus, præter ſummum Pontificem, niſi in articulo mortis valeat abſoluere?

HViuſmodi clauſula eſt non ſolùm in Bulla Cœnæ Domini, & in Bullis, ſeu conſtitutionibus Pontificiis in proxima quæſtione citatis, ſed communiter, & penè ſemper reperitur in omnibus aliis, quæ clauſulam derogatoriam habent voce *Non obſtantibus* expreſſam. Ratio dubitandi eſt, cùm iure communi vſui habito ante, & poſt Concilium, vti habetur

habetur *Extrauag.de ſententia excommunicationis.* Epiſcopi poſſunt abſoluere quemuis illaqueatum excommunicatione, ſeu alia cenſura reſeruata ſummo Pontifici, dum legitimo, & canonico impedimento detinetur, vt ſuprà dictum eſt, cùm de auctoritate Epiſcoporum ageretur. Et Doctores, *Syluest.verbo Abſolutio.4.à num.7. Nauarr.cap. 27.à num.* 88. *Abbas in cap.de cætero. Tabiena excom.* 5.*caſu* 40. communiter tenent poſſe Epiſcopum abſoluere non ſolùm ſic impeditum, qui manus violentas enormiter in Clericum geſſerit, cùm ad ſummum Pontificem adire non poteſt, ſed etiam eum, qui irretitus tali cenſura, & ſimili impedimento fuerit detentus, aliunde etiam proueniente, quàm ex iniectione manuum in Clericum facta: id ſentiunt Doctores, dum exponunt caput, *ſi quis ſuadente diabolo.* relatum *cauſa* 17.*quæſt.*4.

Verba Canonis ſunt hæc:

SI quis ſuadente diabolo huius ſacrilegij vitium, vel crimen incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus iniecerit, anathematis vinculo ſubiiciatur, & nullus Epiſcoporum illum præſumat abſoluere,

uere, niſi mortis vrgentis periculo, donec Apoſtolico conſpectui præſentetur, & eius mandatum ſuſcipiat. Quibus verbis, quamquam Innocentius II. auctor huius decreti, licèt apertè interdicat Epiſcopis, ne talem excommunicatum abſoluant, niſi in articulo mortis: tamen non obſtante tali verborum tenore, communi vſu, vt dictum eſt, conceſſum fuit Epiſcopis, & modò conceditur poſſe abſoluere illaqueatum excommunicatione Papali, cuius abſolutio reſeruata eſt, etiam vſque ad articulum mortis, ſiue ob percuſſionem enormem Clerici, ſeu aliam ob cauſam ſic fuerit incurſa: idque iure antiquo, & ex Concilio Tridentino deprompto, *ſeſſ.* 24. *cap.* 6. Si delictum fuerit occultum. *Tolet.lib.*1.*cap.*32. Ita vt poſſit Epiſcopus abſoluere non ſolùm ab excommunicatione ex iniectione manuum in Clericum, etiamſi percuſſio fuerit leuis, nulla ratione habita impedimenti, vt habetur *in* 5. *Decretalium, tit. de ſententia excommunicationis. cap.* 17. etſi læſio fuerit mediocris in his tantùm, qui collegialiter viuunt. *lib.* 3. *Decretalium, tit. de vita, & honeſtate Clericorum. cap.* 9. ſed etiamſi læſio fuerit enormis eo modo, quo ſuprà dictum eſt. Non eſt autem

autem quis excommunicatus, ſi Clericum percuſſerit vim vi repellendo. *In 5. Decretalium, tit. de ſententia excommunicationis. cap. 3.* Vt autem explicatior euadat ipſa, & omnis ſimilis quæſtio de abſoluendis, qui non poſſunt impedimento detenti accedere ad Sedem Apoſtolicam pro obtinenda abſolutione excommunicationis ei reſeruata: in primis videndum eſt, quidnam dicatur hac de re ſparſim, & diffusè *in 5. Decretalium, tit. de ſenteutia excommunicationis.* & compendiosè, & quaſi in vnum collecta reperiuntur ibidem *cap. quamuis.* cuius capitis verba ſunt: *Quamuis incidens in Canonem latæ ſententiæ propter violentam manuum iniectionem iuxta proprias facultates eis ſatisfaciat, quibus iniurias irrogauit: non tamen aliter, quàm per Sedem Apoſtolicam, vel eius Delegatum abſolutionis poteſt beneficium obtinere, niſi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerili, vel ſenili ætate, fragilitate ſexus, ſeu alia corporis impotentia, ſiue quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romanum Pontificem poſſit adire, vel niſi iuris beneficio à labore huiuſmodi excuſetur. Cæterùm quibuſdàm prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant, exceptis*

pueris

pueris ſub debito iuramenti, quod ſecundùm Eccleſiæ formam præſtare tenentur, conſueuit iniungi, vt impedimento ceſſante ad Apoſtolicam Sedem accedant, mandatum ipſius hu-
1. *militer ſuſcepturi.* Siquidem ex huius capitis lectione primò diſcernitur tres eſſe ſpecies perſonarum, quæ tali impedimento canonico detinentur: quædam enim detinentur perpetuo impedimento, vti ſenes, mulieres, cæci, claudi, & huiuſmodi: quædam detinentur tali impedimento, non tamen perpetuo, vt qui inimicitias habent, & ob eas ſine vitæ periculo itineri non poſſunt ſe committere: pauperes, qui non ſoliti ſunt mendicare, ſerui, pueri, & ſimiles. Sunt & aliæ perſonæ, quæ etſi (vt ſuprà) non ſint impeditæ, excuſantur tamen adire ſummum Pontificem iuris beneficio, vt ſunt Religioſi.

Vt Epiſcopi poſſunt ex mente Doctorum ſimpliciter abſoluere perſonas primæ ſpeciei, & perſonas ſecundæ ſpeciei, abſoluere debent ſecundùm quid, hoc eſt, parte ſatisfacta (ſi quæ ſit læſio) vt cautione præſtita ſaltem iuratoria, & dato iuramento adeundi ſummum Pontificem, ceſſante impedimento, & mandatis eius obtemperandi, excepto tamen

puero,

puero impubere; id interea obſeruãdum eſt,quoad ipſas perſonas ſic impedimẽto non perpetuo detentas quòd Epiſcopi, ſaltem Italiæ debent prius ſummum Pontificem admonere; potiſſimum dum de caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini ageretur, eo tamen moderamine ne ſigillum confeſſionis violetur. Tertiæ ſpeciei perſonæ à ſuis Prælatis abſolui poſſunt,(niſi caſus adeò enormis eſſet, vt neceſſario ad Sedem Apoſtolicã debeant adire) vel de licentia ſuorum Superiorum cò petere & ſummo Pontifici ſe præſentare. *Nauarr.cap.27.nu.88. 89.Tolet.lib.1.cap.32.* Compendium priuilegiorum Fratrum Minorum. tit. abſolutio ordinaria quoad fratres, & in 5. decretalium,cap.Monacho, de ſententia excommunicationis:& licet ſic impeditus non poſſit adire ſummum Pontificẽ, poteſt tamen adire eius Legatum à latere ſi poteſt,ſin minùs ad neutrum, tenetur per procuratorem ſe præſentare, *lib.5.decretalium, tit.de ſententia excommunicationis,cap.ad eminentiam. Viuald.de abſolutione, num.61. Philiarcus 1.parte, lib.3. cap.23.*

Ceſſante tali impedimento abſolutus cùm conditione ſe præſentandi,ſi non ſe 3.

præſen

præſentauerit, reincidit in eamdem excommunicationem, non quòd prima reuiuiſcat, ſed eſt noua excommunicatio à iure lata propter contemptum, eſt enim tunc periurus. Intereà ſi perſonaliter adire non poteſt, poteſt tunc per procuratorem præſtare ad id ſpecialiter deputandum. *Abbas in cap. quid de his, tit. de ſententia excommunicationis. Philiar. de officio Sacerdotis, 1. parte lib. 3. cap. 13. Tolet. lib. 1. cap. 32.*

4. In omnibus ipſis caſibus in quibus Epiſcopus poteſt abſoluere, abſolutionem poteſt committere Presbytero, ita tamen quòd etſi Epiſcopus ipſe poſſit ex mera iuriſdictione abſoluere à tali caſu extra confeſſionem, Presbyter autem in quantum huiuſmodi, & ad id delegatus, vt confeſſarius, id non poteſt præſtare niſi ſacramentaliter mediante ipſa ſacramentali confeſſione, per quam pœnitentem abſoluat, etiam à culpa, & non ſolum à cenſura. *Tolet. lib. 1. cap. 32. Nauarr. de ſententia excommunicationis, conſil. 15. num. 2.*

Expe

Expeditiſsimum Reuerendis Epiſcopis, & eorum Vicariis conſilium.

TVtiſſima via quoad facultatem abſoluendi à caſibus ſummo Pontifici reſeruatis per clauſulam *Nonobſtantibus*, vel æquipollentem, etiamſi caſus illi in Bulla Cœnæ Domini contineantur, eſt quæ refertur in Compendio per collectorem priuilegiorum mendicantium, tit. Abſolutio ordinaria quoad Fratres. §. 13. ſcilicet quod Prælati ipſorum vt poſſint penes ſua priuilegia antiqua ſuos ſubditos abſoluere à caſibus ſuprà dictis, quolibet annô tranſacto die Iouis Cœnæ Domini, poſt promulgationem illius Bullæ, curent obtinere à ſummo Pontifice facultatem abſoluendi ab iiſdem caſibus, nonobſtante quauis derogatione, ſeu (quod minùs laborioſum eſt) ſic impetrare ab illo ſemel pro ſemper, vita eius comite ratificationem ipſorum priuilegiorum in eam partem ſeſe extendentium; nonobſtante ſcilicet Bullæ Cœnæ, & ſimilium derogante promulgatione. Procurabunt, inquam, Epiſcopi, ſibi tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis hanc facultatem concedi, ſicque non ſolum

lum in foro interiori, ſed exteriori in notoriis caſibus, vti in occultis quoad alienos diœceſaneos vti ſuos, poſſe nempe abſoluere per ſe, & per ſuos Vicarios generales in omnibus caſibus ſummo Pontifici reſeruatis, maximè in Bulla Cœnæ, & nominatim quantum ad crimen hæreſeos, & alios ſimiles caſus. Cauſa præcipua huiuſce conſilij, eſt quòd (vt quàm diligenter annotauit doctor Suares, *Tom. 5. diſput. 14. de abſolutione irregularitatis, Sect. 11.*) Romana congregatio Cardinalium declarauit Epiſcopos illarum Regionum in quibus Concilium Tridentinum non eſt receptum, non poſſe vti hac facultate illis conceſſa per Concilium. *Seſſ. 24. cap. 6.* Liceat Epiſcopis & alibi, quia de nouo ea ſit tradita, & non poſſunt ſimpliciter in irregularitatibus, & ſimilibus, diſpenſare, niſi in quantum eis in iure expreſsè conceſſum legitur.

CAPVT

CAPVT IV.

De poteſtate parochorum ſeu curionum,

Quoad caſus in audiendis confeſſionibus occurrentes.

Primò de nomine Parochi. *Nauarr. Tit. de ſponſalibus, conſil. 30. & de Graff. in deciſ. aur. 1. p. lib. 2. cap. 39. num. 7.*

NOmen Parochus ex ſua propria ſignificatione & notatione, ſignificat eum, cuius eſt munus præbere quibuſdã aliis vitæ neceſſaria, quale munus Romę erat erectum, quo Legatis publicè Romam miſſis, cæteríſque alicuius dignitatis hoſpitibus ſal & ligna præberi ſolebant; à verbo Græco ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quod eſt præbere: hinc ſecundum communem loquendi vſum tale nomen tranſlatum eſt, tam in iure ciuili quàm Canonico, ad ſignificandum perſonam Eccleſiaſticam, quæ curam habet animarum in aliqua Parœcia ſeu Conuentu hominum, vel vicinia certis terminis limitata,

mitata, cuius eſt eis præbere alimenta ſpiritualia, verbum Dei, ſacramenta, & ſimilia.

Quod Parochus eſt Confeſſarius ad id habens iuriſdictionem ordinariam in ſuos ex officio, vti Epiſcopus in diæceſanos, & Papa in omnes fideles, vt in principio monſtratum eſt.

Et ſi iure ipſo ſolus Papa, Epiſcopus, cæteríque Prælati, curam animarum habentes, tam ſuperiores quàm inferiores exempti poſſint ſibi eligere Confeſſores, vt habetur in Gloſſa ſuper titulum, *de pœnit. & remiſſ.* Parochus támen ſi non iure, ſaltem conſuetudine pariter poteſt ſibi eligere Confeſſarium, à quo poſſit abſolui, præterquàm à caſibus reſeruatis: & modò eligendus ille Confeſſor ſit vnus ex iam approbatis. *Dominicus Soto in 4. diſtinctione. 2. q. 2. art. 3. Henric. in Theologia morali, 1. p. lib. 3. cap. 7. nu. 4. Ang. verbo confeſſio. 3. §. 5.*

Cautè obſeruandum eſt in hoc negotio aliud eſſe caſum Epiſcopi, cenſuram, ſeu excommunicationem illi reſeruatã, diſpenſationem votorum, ſeu iuramentorum, irregularitatum, vt ſuprà iam ingeminatum eſt; cùm conceſſa poteſtate abſoluendi à caſibus Epiſcopi, non neceſſario

ceſſario ſequitur, datam ſimul fuiſſe facultatem abſoluendi à cenſuris, diſpenſandi in votis, & ſimilibus; iuxta illud vulgare deſumptum è Capite Finali, *de pœnit. & remiſſ.* Quòd in generali conceſſione illa non veniant, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.

Poteſt Parochus abſoluere quidem à peccatis contra iuramenta factis, non tamen ab obligatione iuramenti. *Toletus lib.4. cap.23.*

Omnis Parochus poteſt abſoluere ab excommunicatione reſeruata ſummo Pontifici, detentum legitimo impedimẽto adeundi ipſum, ſeu Legatum eius, modò id iure expreſsè non reſeruetur tunc Epiſcopo; qualis eſt excommunicatio incurſa ob manus violentas in Clericum, quæ ſcilicet expreſsè tunc Epiſcopo reſeruatur. *Henric. Henriq. de indulgentiis, cap.9.nu.48.& lib.3.cap.9.n.1.*

Poteſt Parochus ſeu Curio abſoluere ab excommunicationibus Papalibus in iure contentis, ſine clauſula reſeruationis, modò Epiſcopus ſibi ſimiles non reſeruauerit, cùm huiuſmodi remittantur Ordinariis. Qualis eſt Parochus in ſua parœcia, vt Epiſcopus in diœceſi ſua.

Nauar.

Nauar.cap.27.nu.39. Tolet.lib.1.cap.26.& lib.13.cap.14.

Idem cenſendum eſt de abſolutione ab omni ſuſpenſione ſi nulli fuerit in iure reſeruata,quòd ſcilicet poſſit Parochus eam impendere. *Viuald. in Candel. aureo, 2.p.nu.170.tit.de ſuſpenſione.*

Poteſt ſecundum quoſdam abſoluere à caſibus Epiſcopalibus, modò ſint occulti, & ſine clauſula excommunicationis annexæ & reſeruatæ, ídque ſaltem antiqua conſuetudine. *Silueſt. verbo confeſſorum.3.q.5. & Angel.verbo Caſus*, licet iure moderno id derogatū ſit per Concil. *Seſſ.14.cap.10.* vt diffuſiùs explicabitur ſuo loco; & ſi quidam contrarium teneant, vt *de Graff.1.p.lib.4. cap.15.n.68.*

Sic vti poteſt abſoluere ſublata Papali cenſura per Bullam aliquam ab illo caſu, cui talis cenſura annexa erat, pariter & poteſt à cenſura Epiſcopali abſoluere, ſi quam ſuper eundem caſum impoſuiſſet, ídque vt ſuprà è ſolo vſu & conſuetudine, licet id non ex iure. *Tolet.lib.3.cap.14. Nauarr.cap.27.nu.254.*

Poteſt abſoluere ab excommunicatione ab homine, ſiue à Papa, ſiue ab Epiſcopo ſit, modò fuerit generalis, & non ſpecialis, & cum alicuius denuntiatione,

tione, nec interceſſerit litis conteſtatio, & ſine clauſula reſeruationis, etiam non ſatisfacta parte, ſi tunc impotentia ſatisfaciendi ſit, modò ſit promiſſio iuratoria id faciendi cùm poterit, *de Graff. in deciſionibus aur. 1. p. lib. 4. cap. 15. num. 71. Tolet. lib. 1. cap. 16. Sotus in lib. 4. diſt. 22. q. 2. art. 3. vide Nauarr. in Manuali, cap. 27. num. 44. & tit. de pœnitent. & remiſſ. conſil. 23. numero 1.*

Poteſt ſuos vbique abſoluere etiam extra diœceſim. *Angel. verbo Confeſſio. §. 3. num. 18.*

Etſi Epiſcopus caſus aliquot ſibi reſeruet cum annexa excommunicatione reſeruata, & de iure communi ab eis ſimpliciter non poſſit abſoluere Parochus, vt dictum eſt, tamen ſecundùm quid id poteſt præſtare, cùm nimirum viderit ſaluti pœnitentis non expedire, cũ ad Epiſcopum remittere; vti ſi immineret periculum aliquod animæ illius ex dilatione abſolutionis, vel etiam periculum famę, vitæ, inſtante neceſſitate communicandi aut celebrandi, & ſimilia, cum obligatione tamen ſuperiori ſe præſentandi ceſſante illo impedimento. *Syluester verbo Confeſſorum, 3. §. 5. Angelus verbo Caſus. Viualdus de abſolutione, numero*

61. de Graff. 1. parte lib. 1. cap. 13. num. 78. Henric. Henriq. 1. p. libro 3. de Sacramentis, num. 4.

Poteſt abſoluere Parochus & omnis alius Confeſſor admiſſus ab omnibus caſibus & excommunicationibus, quos ſibi Epiſcopus reſeruauerat, poſt eius mortem; deſinit enim talis reſeruatio illo mortuo, quantùm ſcilicet ad ea quæ in poſterum poſſent fieri contra huiuſmodi ſtatuta, non autem quantùm ad tranſgreſſionem illorum factam adhuc illo viuente. *Viualdus de abſolut. num. 57. in Candel. aur. Toletus lib. 1. cap. 5.*

Poteſt & quiuis alius Confeſſor approbatus, abſoluere pœnitentem à peccato, cui annexa fuerit excommunicatio reſeruata Papæ, ſeu Epiſcopo, cùm pœnitens ille immemor illius peccati præuio examine debito, ſua confeſſus fuerit peccata alteri qui poterat illum à tali cenſura abſoluere; quia ſic ſublata eſt ipſa cenſura, & caſus tunc deſinit eſſe reſeruatus, & à quolibet Confeſſario poteſt abſolui à tali peccato. *Viualdus in Candelabro aureo, titulo de Abſolutione, numero octauo. Nauarrus 27. numero 254.*

Poteſt

Poteſt abſoluere à caſibus alibi reſeruatis, cùm in ſua Diœceſi ſeu Parœcia non reſeruantur, eo tamen cum moderamine, ne ſcilicet pœnitens ſic declinaret fraudulenter forum ſui Ordinarij, & ne arriperet hinc occaſionem liberius peccandi, vel niſi delictum eſſet notorium & graue, ídque ſaltem ex cõſuetudine, quæ eſt optima legum interpres. *Syluest. verbo Abſolutio.* 1. *num.* 11. *Viualdus de Abſolut. num.* 58. *Tolet. lib.* 3. *cap.* 3. *Henric. Henriq.* 1. *p. lib.* 3. *cap.* 14. reddens rationem huiuſce concluſionis, quòd ſcilicet reus iudicari debeat ſecundùm leges loci vbi adeſt.

Poteſt Parochus & quiuis alius Confeſſarius admiſſus alterius Parochi, ſeu Prælati, audire Parochianum de confeſſione, cùm tamen licentia illius, ſi non expreſſa, ſaltem tacita: dicitur autem tacita licentia (vt aliàs notatum eſt) cùm ſuperior ſcit ſuos ab aliis abſolui & non reclamat, ſed tolerat. *Ang. verbo Confeſſ.* 3. *num.* 30. *Syluester verbo Confeſſor* 1. §. 7. *Nauarrus cap.* 9. *Manualis num.* 5. *Toletus lib.* 3. *cap.* 13. Ad hæc poteſtas ſuprà dicta tuto ante Concilium, ex conſuetudine exercebatur, vt modò adhuc exerceri poſſe affirmant prædicti

Authores etſi iure communi, vt Medina tenet in ſua Summa, *libro* 1. *cap.* 10. §. 3. ex Concilij decreto *ſeſſione* 26. *cap.* 5. *de reformatione.* neceſſariò requiritur, vt ipſe Parochus habeat ab Ordinario illius extranei licentiam præmiſſam, quæ tamen videtur ſufficere, ſi obtinetur tacitè, ſi non expreſsè, vt prima fert opinio.

Poteſt Parochus tali iure abſoluere viatores & peregrinos, non ſolùm vt ait de Graff. *libro* 4. *capite* 15. ſi habeant licentiam peregrinandi à ſuo Ordinario, ſeu quòd Parochus illorum eam ſibi non reſeruauerit, ſed ſimpliciter; quòd nempe Parochus poſſit peregrinis quouis tempore adminiſtrare Sacramẽta, ídque (vt ſuprà) ex tacita Paſtoris licentia, quanquam expreſsè peregrini eam non petierint, vt olim neceſſariò erat petenda & obtinenda. *Henricus Henriq. libro 6. capite 8. numero* 5. & maximè Parochus in peregrinos poteſt tempore neceſſitatis, ſeu neceſſariò ſumendi Sacramenta, vt tempore Paſchæ de ſacra Communione, ſi commodè ad Parochum proprium recurri non poteſt. *Nauarrus titulo de Parochiis, conſil.* 1. *numero* 3. *Toletus libro* 3. *capite* 13.

idque

idq́ue ex eo quòd peregrinus tunc cenſendus eſt de iuriſdictione illius Parochi cauſa illius neceſſitatis, *Angel. interea verbo Confeſſio. 5. numero 13.* hanc adhibet moderationẽ, vt peregrinus teneatur ſuo tẽpore proprio, Ordinario confiteri, ſi aliquem caſum tunc haberet ei reſeruatum, & prior Confeſſarius non potuiſſet abſoluere.

Etſi confeſſus alieno Confeſſario nõ teneatur iterum eadem confiteri ſuo proprio Confeſſario ex præcepto, debet tamen ex conſilio ſe illi præſentare ſaltem ſemel in anno, & tunc licèt mortalia non habet peccata, debet ſaltem venialia proferre, vt debita Confeſſionis Sacramentalis materia ſuggeratur. *Angel. verbo Confeſſio. 4. num. 33.*

Poteſt abſoluere Parochus à caſu ſeu excommunicatione Synodali in aliena Diœceſi contracta, modò non fuerit in ſua reſeruata. *Syluest. verbo Abſolutio. 1. num. 7. Caietanus verbo abſol. cap. 3. in deciſ. aur. 1. p. lib. 1. cap. 13. num. 46.*

Omnis Parochus & quiuis alius Confeſſor admiſſus poteſt abſoluere pœnitentem ſibi confeſſum, ſignis, per interpretem, per ſcripturam, dum iuſta ad id cauſa ſit, modò ſit præſens. *de Graff.*

1.*p.lib.*1.*cap.* 24.*num.* 30. 31. ídque ex expreſſa declaratione Clementis VIII. etſi *Nauarrus cap.* 21. *numero* 36. anteà ſic abſens poterat abſolui, vt dum quis infirmus erat, vel incarceratus, & præſentia Confeſſarij vti non poterat. *Viualdus de Confeſſ. numero* 23. *Nauarrus de pœnit. remiſſ. conſilio* 10.*num.* 1.

Poteſt Parochus & quiuis alius Confeſſor approbatus abſoluere plures ſimul confitentes, vt imminente periculo ſubuerſionis nauis, obſidionis ciuitatis, concurſus bellici certaminis. *Toletus libro* 3.*cap.* 20. & neceſſariò non requiritur vt confeſſio tunc ſit integra, etſi id velit *Nauarrus tit. de pœnit. & remiſſ. conſilio* 10. *numero* 2. Siquidem premente periculo, ſi partem vnam peccatorum tunc confitentur legitimè abſolui debent, vt verè confeſſi, ſicut abſoluitur infirmus in articulo mortis, etiamſi non omnia, ſed quædam peccata præ dolore morbi potuerit confiteri.

Poteſt excommunicatum occultè pœnitentem abſoluere, imò bis aut ter ad celebrationem miſſæ admittere ante obtentam diſpenſationem, ſi aliter immineret graue periculum vitæ aut famæ.

Quòd

Quod Parochus habet quidem ſuprà dictam poteſtatem variis modis expoſitam, ita iure ipſo immediatè à ſummo Pontifice, vt Epiſcopus non poſſit eum ab illa impedire, eſt enim talis poteſtas à ſuo beneficio inſeparabilis, & de illius quaſi eſſentia: tamen vt Angelus notauit verbo *Caſus*, ob duas cauſas poteſt Epiſcopus illum interdicere, ſeu ſuſpendere; altera ex crimine quòd confeſſarius, ſeu Parochus feciſſet, & dignus ex illo ſuſpenſione eſſet; altera ob aliam rationem iuſtam & legitimam interuenientem in contrarium, vti propter vtilitatem communitatis, & ſimilia.

Poteſt Parochus extra confeſſionem ab excommunicatione abſoluere coram Notario & teſtibus; & ſic in iudicio probari poſſit ſi opus ſit, cùm abſoluere ab excommunicatione non ſit actus ordinis, ſed iuriſdictionis. *Philiarcus* 1. *parte*, *cap*. 20.

DE POTESTATE PAROCHI,
deſumpta ex Capite, *Omnis vtriuſque ſexus* lib. 5. Decretalium, tit. de pœnit. & remiſſ. verba capitis.

Caput prædictum decretum fuit in Cõcilio Lateranenſi ſub Innocentio III. ipſorum verborum tenore, *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata, ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, vel de licentia eius alteri, & Sacramentum Euchariſtiæ ad minus in Paſcha recipiat; alioquin viuens, ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & mortuus Chriſtiana careat ſepultura.*

EXPOSITIO CAPITIS.

IN hanc expoſitionẽ videre licet Hieronymũ à Sorbo in Annotationibus, quas edidit ſupra titulum *Confeſſiones, & Confeſſores*, in Compẽdio priuilegiorum Fratrum Minorum, iuxta Concilij Trident. decretum, *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. & obſeruare quæ ſequuntur.

Primò ex hoc capite, *Omnis vtriuſque ſexus* colligitur, tunc temporis ex hac Lateranenſi Concilij conſtitutione cœpiſſe

cœpiſſe fidelem obligari, ſemel ſaltem in anno, confiteri ſua peccata, vt etiam confirmatum fuit per Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 14. *can.* 8. Semel autem ſic in anno confiteri dupliciter ſumitur à Doctoribus: alij intelligunt tempore quadrageſimali, alij pro anno finiente tempore Paſchæ. *Viuald. de confeſſione, num.* 16. Et hæc de iure poſitiuo, & humano. Quamquam teneantur fideles de iure diuino pluries vice illa confiteri in anno, cùm ſcilicet quis eſt in articulo mortis: quandò homini conſcientia dictat per inſtimulum, & inſpirationem conuertatur in Deum: quando aliquis voto ſe obligauit, vel iuramento in aliquibus diebus confiteri: quando pœnitens probabiliter credit ſe per totum annum non habiturum opportunitatem confitendi: cùm quis eſt in mortali peccato, & vult communicare, vel celebrare. *Viuald. quo ſuprà, num.* 12.

Etſi ex eo capite conſtet, tunc non quemlibet Sacerdotem habere poteſtatem audiendi confeſſiones, ſed ſolum Parochum, aut alium per eum ad id admiſſum: tamen tale decretum eo tempore non incepiſſe videtur, ſed fuiſſe editum per Vrbanum II. qui fuit annos

centum ante Innocentium III. & tale Concilium Lateranenſe, & recitatur ad longum apud Gratianum *de pœnitent. diſt.6.cap.placuit.*

Virtute ipſius capitis *placuit.* relati in capite *omnis vtriuſque ſexus.* poterat Parochus dare licentiam cuiuis Sacerdoti audiendi confeſſiones ſibi ſubditorum, & viguit ipſa poteſtas vſque ad Concilium Tridentinum, *ſeſſ.23.cap.15.de reformatione.* vbi ita reſtricta ſic fuit, quòd nullus Sacerdotum poſſit ſecularium audire confeſſiones, niſi ſit ex approbatis per Epiſcopum: ſicque Parochum modò non poſſe vicem ſuam alteri tradere, niſi ſit ille iam per Ordinarium ad id admiſſus. *Tolet. lib.3. cap. 13. de Graff. 1.part.lib.1.cap.13.num.15.*

Ex ſuperioribus pariter ſequitur, minùs Parochum poſſe dare licentiam ſuo ſubdito confitendi peccata ſua cuiuis Sacerdoti, vt eò vſque poterat iuxta verba canonis: etſi quidam Auctores adhuc celebrent hanc Parochi poteſtatem, dum dicunt fideles non poſſe confiteri Sacerdoti, niſi de licentia ſui Epiſcopi, vel Parochi: tunc enim intelligendum eſt loquutos fuiſſe vel iuxta antiquum illud ius, vel ſi iuxta nouam Concilij

Tridentini reſtrictionem, quòd tunc licentia Parochi non ſit ſumenda pro iuriſdictione aliqua, ſed pro mero (vt dicunt) miniſterio: vt cùm Epiſcopus admittit Religioſum aliquem audiendis confeſſionibus, virtute priuilegij ſibi à ſummo Pontifice conceſſi: tunc enim Epiſcopus non dat poteſtatem illi confeſſiones audiendi. Sed mera cauſa eſt miniſterialis executionis ipſius facultatis à ſummo Pontifice iam antè impetratæ: & ſic ex iure antiquo Parochus poterat dare licentiam ſuo ſubdito cuiuis Sacerdoti ſua peccata confitendi, modò ex iure nouo non poteſt dare ſubdito hanc facultatem alteri Sacerdoti confitendi, niſi ipſe ſit Confeſſarius ab Epiſcopo approbatus. *Viuald. in Candelabro aureo, 1.part.num.26.tit.de confeſſione.*

Similiter nec poteſt modò Parochus dare licentiam alteri Parocho confeſſiones audiendi ſuorum ſubditorum, etſi omnis Parochus ſit Confeſſarius approbatus ex officio, cùm ipſe habeat poteſtatem audiendi confeſſiones limitatam, ſuorum ſcilicet parochianorum, & non aliorum ad ſe venientium, niſi forſan talis poteſtas locum habere dicatur ex conſuetudine, ſeu licentia Epi-

ſcopi tacita, ſi non expreſſa.

Vltimò Confeſſarius approbatus ab Ordinario, ſiue regularis, ſiue ſecularis, non tenetur modò petere licentiam à Parocho, vt confeſſiones ſubditorum audiat, ſicut anteà tenebatur. *De Graff. 1. part. lib. 1. cap. 13. num. 45.* Eam intereà licentiam ſcriptis obtentam ab Epiſcopo illi communicabit, ſi in Eccleſia illius eam voluerit exercere.

Penes illa verba canonis, *Alioquin viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & mortuus Chriſtiana careat ſepultura.* colligitur, eum, qui ſine iuſta cauſa ſemel in anno non fuerit confeſſus, & Sacramentum Euchariſtiæ ad minùs in Paſcha non receperit, fore excommunicatum: eam autem excommunicationem non eſſe ipſo iure, ipſo facto, ſeu latæ ſententiæ, ſed ſolùm comminatoriam, & ab homine: verbum enim futuri, & non præteriti continet tunc ſic contrauenientem, (licèt peccet mortaliter) non tamen ſtatim eſſe excommunicatum, ſed eſſe excommunicandum per iudicem. *Tolet. lib. 1. cap. 5. vbi de excommunicatione comminatoria. & Gloſſ. in cap. 13. tit. de pœnit. & remiſſ. in 5. Decretalium.*

CAPVT

CAPVT V.

De poteſtate ſecularium Sacerdotum ad audiendas confeſſiones.

In quibus caſibus poteſt ſimplex Sacerdos Confeſſarius ab Ordinario approbatus.

HACTENVS dictum eſt de Confeſſario ordinario ex officio, ſeu habente ad id iuriſdictionem ordinariam: cuiuſmodi ſunt Papa, Epiſcopus, & Parochus.

Supereſt agendum de Confeſſario extraordinario, ſeu iuriſdictionem extraordinariam habente: is autem etiam triplex eſt. Alij enim habent huiuſmodi iuriſdictionem ex conceſſione, ſeu commiſſione, vti communiter ſunt ſimplices Sacerdotes approbati ab Ordinario ad id muneris exequendi. Alij ex priuilegio, vti ſunt Religioſi, Mendicantes, & regulares ita admiſſi per ſummum Pontificem. Alij ſunt ex electione, beneficio Indulti, Bullarum, ſeu Indulgentiarum: 1.

vti

vti ſunt omnes indifferenter Sacerdotes, cùm beneficio alicuius Indulgentiæ datur poteſtas pœnitenti ſibi Confeſſarium eligendi.

2. Etſi Parochialis poteſtas longè eminentior ſit poteſtate Sacerdotali ſimpliciter ſumpta, (eſt enim quædam prælatura, & dignitas ad adminiſtrandum Sacramenta, & cætera, quæ ad regimen parœciæ ſibi traditæ ſpectant) tamen quantum ad inſtitutum noſtrum, & rationem adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ, non maior vnius eſt auctoritas, quàm alterius: ita vt quæ iure competunt ad hanc rem Parocho, & ſimplici Confeſſario, conueniunt ex conceſſione, ſeu commiſſione data, immò per accidens extenſior videtur ipſa poteſtas ſimplicis Confeſſarij poteſtate Parochi. Quatenus enim ſimplex Confeſſarius habet ab Ordinario ſaltem poteſtatem non limitatam, poteſt omnes ad ſe venientes diœceſaneos ſic audire ſacramentaliter: quod Parochus non poteſt, cùm ex officio limitatam habeat ſuam, nempe audiendi de confeſſione ſuos ſolùm parochianos, licèt ex conſuetudine (vt ſuprà dictum eſt) etiam alieni Parochi audiat, ſeu potiùs ex licentia ſaltem tacita.

Pa.

Parochi intereà poteſtas eo excedit 3.
ſimplicis Confeſſarij poteſtatem, quòd
eam habeat ſic ex officio immediatè à
ſummo Pontifice, vt Epiſcopus non
poſſit vllo modo eum illâ expoliare, ſeu
priuare: quamquam ex certa, & iuſta cauſa
poſſit ad tempus ab ea eum ſuſpendere.
Simplex verò Confeſſarius, quantumuis
amplam habuerit poteſtatem,
poteſt ab Epiſcopo etiam ſine cauſa priuari,
cùm illam ab ipſo Ordinario delegatam
habuerit.

Neuter ipſorum, hoc eſt, Parochus ex 4.
officio, & ſimplex Confeſſarius ex nuda
confeſſione poteſt abſoluere à caſibus
Epiſcopo quoquo modo reſeruatis. *Ex
Concilio ſeſſ. 14. cap. 7.*

Cùm ſuprà de Parochi poteſtate age- 5.
retur, paſſim dicebatur idem poſſe Parochum,
& quemuis alium Confeſſarium:
quod valdè hoc in loco obſeruandum
eſt; quo ſimplicis Confeſſarij auctoritas
magis innoteſcat, immò ita vt
communiter quod ſuprà Parocho attributum
eſt, & ipſi Confeſſario communicandum
ſit, niſi iure contrarium quid
exprimatur.

Poteſt ſimplex, & ſecularis Confeſſa- 6.
rius abſoluere (vt etiam Parochus) ab

excom

excommunicatione etiam Papali, modò non ſit reſeruata. *Tolet.lib.1. cap.16. Nauarr. cap. 27. num. 257.* ídque ex capite *nuper.de pœnit.& remiſſ.in Decretalibus.*

7. Poteſt quilibet Confeſſarius ſic admiſſus (vt ſuprà dictum eſt) ſuam poteſtatem exercere, mortuo ſuo Epiſcopo, vel ab officio depoſito, in quantum fuerat ei conceſſa ab eo, donec ſucceſſor illius eam tacitè, vel expreſsè reuocauerit. *De Graff.1.part.lib.1.cap.13.num.49.*

8. Poteſt quilibet legitimus Confeſſor commutare pœnitentiam iniunctam à Superiore, ex cauſa tamen, & non aliter. *Nauarr. tit.de pœnit.& remiſſ. conſil.20.& tit.de voto.conſil.64.*

9. Vt Parochus poteſt ſubditos etiam extra diœceſim, ſic & Confeſſarius Sacerdos ſecularis eos, in quos habet iuriſdictionem delegatam, cùm tunc nulla iniuria fit Ordinario: fit enim hæc abſolutio ſacramentaliter, & ſine vllo ſtrepitu iuris. *Coſmus Philiarchus de officio Sacerdotis, lib.2. cap.24.*

In

In quibus poteſt ſimplex Sacerdos Confeſſarius, etiam non approbatus abſoluere.

DIctum quidem eſt in principio, 1.
ſimplicem Sacerdotem talem poteſtatem habere ad audiendas confeſſiones, qualis iam partim expreſſa eſt, & diffuſiùs exprim i poteſt, quatenus illam poteſtatem habet ab Epiſcopo, quia iure communi & decreto Concilij Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 15. nullam abſolutè iuriſdictionẽ ad id habere poteſt ex ſe, ſeu ſui ordinatione; verum cum antè dictum fuerit ex iure non ſolum communi, ſed antiquo, & veteri, in concil. *Seſſ.* 14. *cap.* 7. quod ſcilicet poſſit omnis Sacerdos in articulo mortis, etiam præſumpto, etſi non approbatus fuerit, abſoluere non ſolũm à peccatis, ſed etiam ab omni caſu reſeruato etiam ſummo Pőtifici, modò etiam nonnihil dicendum eſt de poteſtate ſimplicis Sacerdotis audiendi in nonnullis caſibus confeſſiones, etiam ſine vlla Ordinarij approbatione.

2. Omnis Sacerdos quantumuis mortali peccato ſit irretitus, præciſus, excommunicatus, & publicè denuntiatus, ſuſpenſus, ſchiſmaticus, hæreticus, modò inten

intendat abſoluere,& abſoluendo facere quod Eccleſia facit, & nullum ſit periculum ſubuerſionis, poteſt pœnitentem in articulo mortis,conſtitutum ab omni peccato, & cenſura abſoluere. *Angelus verbo Confeſſio. 3. num. 2.* hanc adhibet moderationem,ſcilicet,quod talis ſit paratus audire confeſſiones. *Nauarr. in Comment.ſuper cap.qui vult,de pœnit.diſt.6.* quod etiam tunc liceat eo vti cùm ad id ex officio tenetur, & quod aliter non poſſit talem miniſtrum inducere ad id miniſterij: Si quidem talem poteſtatem habet ex ſui ordinatione à Deo, & ſic à iure diuino,cui omne ius humanum cedit. *Vinald. tit. de Abſolut.num.64. Tolet. lib.1.cap.15. num.3.* cum ea tamen obſeruatione id efficiet: primò hortando pœnitentem infirmum,irretitum caſu reſeruato, ſummo Pontifici, ſi conualuerit eundem adire,& ſe illi præſentare,ídque ex iure antiquo & communi, etſi ſimpliciter poſſit fieri, *ex Concil.Trid. cap.7. Seſſ.14.* citra illam obligationem ſe præſentandi, & de præſenti promittat ſtare mandato ſanctæ Eccleſiæ Romanæ, & ſatisfaciat parti læſæ, ſin minus cautionem det, ſaltem iuratoriam. Secundò conſulat ille Sacerdos tunc temporis, ſi

commo

commodè fieri poteſt, Superiorem ad id faciendum. *Nauarr.tit.de pœnit. & remiſſ. conſil.*15. in ipſo mortis articulo.

Eodem priuilegio poteſt gaudere 3.
omnis ſimplex Sacerdos, cum duplici intereà obſeruatione ſuprà habita, etiam dum periculum mortis probabile occurrit pœnitenti. Eſt autem periculum mortis, vt hîc ſumitur, quod frequenter tunc mors accidit, & ſi non ſemper, vt cùm periclitatur de nauis ſubuerſione, ciuitatis obſeſſæ, vaſtatione, repentino & inſtante congreſſu, & certamine bellico, dum mulier parturitioni proxima eſt, & iam dolores partus ſentit, & huiuſmodi. *de Graff.lib.*1.*parte* 1.*cap.*13.*nu.*85.*Viuald. tit.de abſol.num.*60.*Tolet.lib.*1.*cap.*25.

Et ſi abſolutio à peccatis debeat dari 4.
abſolutè & ſimpliciter, tamen poteſt Confeſſarius abſoluere infirmum in articulo mortis conſtitutum conditionaliter, quoad cenſuras, reſeruatas, ſcilicet ea conditione vt ſi conualuerit, vel ceſſante tali & omni alio legitimo impedimento teneatur ſuperiorem adire, cui cenſura excommunicationis, vel alia eſt reſeruata: ſin minus, incidet in eandem excommunicationem ex contemptu ſeu negligentia. *Viuald.de abſol.num.*65.*Tolet. lib.*1.

*lib.*1.*cap.*15.*nu.*30. vbi intereà notandum eſt ex Nauar. *cap.*27. *num.*271. quòd infirmus ſtante tali impedimento non tenetur mittere ad Superiorem, etiam ſi poſſit, imo rigore iuris communis, ſcilicet *ex Concil. Trid.* ceſſante tali impedimento nulla remanet obligatio ſe Superiori præſentandi, vt notauit *Emanuel. Sa, tit. abſolutio ab excommunicatione*, & notatum ſuprà *ex Nauarro.*

5. Si infirmus in tali mortis articulo amiſit loquelam, compos tamen rationis, ſigna quædam contritionis dederit, percutiendo pectus, leuando manus in cœlum, poteſt eum Sacerdos etiam à peccatis abſoluere; modò per illa ſigna vnū vel alterum peccatum potuerit ſic confiteri, vt materia confeſſionis cum forma abſolutionis concurrant. *Viuald. de abſolutione, num.*70. *Tolet. lib.*3. *cap.*8. *Nauarr. cap.*26. *num.*28.

6. Si verò infirmus amiſerit vſum rationis, & nullum ſignum contritionis dederit, poterit & abſolui ab excommunicatione, aliáve, cenſura, licet non à peccatis. *Viuald. de abſolut. num.*7. *&* 71. Si autem mortuus fuerit, poterit etiam à ſimili cenſura abſolui, non autem à quouis Sacerdote, ſed ſolum ab eo qui poterat

terat illum dum viueret ab illa abſoluere. *Tolet.lib.*1*.cap.*15*.num.*9.imò Tolet. tenet *lib.*1*.ca.*8. poſſe pœnitentem talem qui ſenſum amiſerit,etiam abſolui à peccatis, ſi adſint teſtes quod anteà petierit confeſſionem.

In tali mortis articulo, & ſi ſimplex 7.
Sacerdos poſſit talia in infirmum, quæ ſuprà dicta ſunt, tamen non poteſt in votis diſpenſare, aut aliquid illorum commutare. *Nauar.cap.*12*.num.*79.

Quid autem proſit mortuo abſolutio 8.
ab excommunicatione. *vide Nauarr.in Manuali,cap.*26*.num.*32. & an hæredes debeant procurare abſolutionem eius defuncti,docet *Nauarr, cap.*27*.num.*271. & ſi excommunicatio ſit ab homine,vel à iure, à quo poſſit dari abſolutio. *Nauarr.cap.*27*.à nu.*39.

Abſolutus in articulo mortis per eum 9.
qui non habet poteſtatem abſoluendi extra talem articulum, ſi cõualuërit non tenetur adire Superiorem, ſi caſus à quo fuerit abſolutus ſolum eſſet peccatum,& nullam haberet annexam excommunicationem. *Nauarr.cap.*26*. num.*27*. Tolet. lib.*1*.cap.*15*.num.*2.

Curet intereà Sacerdos Confeſſarius 10.
abſoluendo tunc infirmum,an pœnitentia

tia iniungenda ſit non ſolum ſatisfacto-ria (quæ quam breuis & leuis eſſe debet) ſed etiam reſtitutoria, nam tunc debet procurare, vt prius ille ſatisfaciat, vel cautionem det, ſaltem iuratoriam, vt dicunt, ſi alia haberi non poteſt. *Viuald. de abſol. num.* 66. *Nauarr. cap.* 27. *num.* 47.

11. Confeſſarius ab Ordinario approbatus virtute Bullæ, ſeu indulgentiæ electus, poteſt audire de confeſſione vbicunque tales indulgentiæ acquiruntur. *Viuald. in Candel. aur. tit. confeſſio. num.* 27. 1. *parte.*

12. Sunt & alij modi in quibus ſimplex Sacerdos non approbatus poteſt abſoluere, etiam extra articulum mortis: primus, poteſt quilibet Sacerdos abſoluere à peccatis venialibus, tum etiam à mortalibus ritè aliàs confeſſis. *Nauarr. cap.* 4. *num.* 5. Quomodo autem intelligatur poſſe abſolutionem dare à peccatis mortalibus aliàs ritè confeſſis & abſolutis, cùm ſic iã abſolutio præceſſerit? Coſmus Philiarcus de Officio ſacerdotis, 2. *parte cap.* 23. obſeruat peccatum dici remitti, non ſolum cùm culpa eius, ſed pœna æterna remittitur, vti contingit per præcedentem abſolutionem, ſed etiam cum pœna temporalis ei debita per ipſam ſubſe

ſubſequentem abſolutionem diminuitur ſeu remittitur, *ex Diuo Thoma in* 4. *diſt.* 18.*q.*1. *art.*3. *q.*2. *ad* 4. dicente quòd poteſt toties reiterari eorumdem peccatorum confeſſio, & abſolutio vt vi Sacramenti tota remittatur pœna. Prodeſt item ingeminatio talis confeſſionis & abſolutionis, quoad diminutionem impuritatum, prauatũ inclinationum, quæ reliquiæ peccatorum dicuntur, vt ſcilicet ſic reddamur fortiores contra tales inſultus ſenſualitatis, quæ aliter verecundiam nobis tollunt, rationem perturbant, voluntatem alliciunt, deuotionis feruorem minuunt, mentem diſtrahunt, & vt praui habitus contracti, ad ſimilia peccata perpetranda nos inclinant.

Poteſt ſimplex Sacerdos ſecundum 13.
nonnullos abſoluere ab omni excommunicatione Minori, præſertim ſi excommunicatus ille non habuerit niſi peccatum veniale. *Nauarr.cap.*27.*nu.*25. Quamquam alij id negent, *de Graff.* 1.*p. lib.*4. *cap.*15. *num.*80. & dicant id ſolùm poſſe qui poteſt abſoluere à peccatis mortalibus, cùm iuriſdictio ſit neceſſaria æquè in vno vti in altero. *Philiarcus*, 1.*p. lib.*3.*cap.* 20. vide Toletum, *lib.*1. *cap.*17. vtramque

vtramque opinionem referentem.

Poteſt ſæcularis Sacerdos non approbatus ab Ordinario abſoluere Religioſum habentem licentiam à ſuo Superiore, eligendi ſibi Confeſſarium, vt ſimiliter in aliena diœceſi fideles abſoluere cùm virtute alicuius Iubilæi, ſeu indulgentiæ, poſſunt ipſi Confeſſarium eligere, quamquam ab Ordinario illius loci non fuerit approbatus, modò ad id & pro eo tempore fuerit ab alio Ordinario ſic admiſſus.

14. Poterant ante Concilium ſæculares Sacerdotes quemuis aliud ſæcularem Sacerdotem audire de confeſſione ex certa conſuetudine, etiam ſine vlla approbatione, modò per Concilium *Seſſ.* 23. *cap.* 15. non poſſunt tales confeſſiones audire, nec mutuò ſibi confiteri, niſi Ordinarij approbatio interueniat: & id ſolùm priuilegij Sacerdotibus ſæcularibus ſic modò ſolum reſtat, vt ſcilicet poſſit ſæcularis Sacerdos cuiuis alteri Sacerdoti confiteri, modò ſit ex approbatis. *Viuald. de confeſſ. num.* 28. *Nauarr. cap.* 4. *num.* 2.

Nonnul

Nonnulla ſuper caput Placuit,*de pœnitentia, diſtinctione ſexta,ad diſcernendam varietatem iuriſdictionis Confeſſariorum pro varietate temporis; verba capitis.*

Placuit(inquit Vrbanus Papa II.)*vt deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conceſſu cui priùs ſe commiſit, niſi pro ignorantia illius cui pœnitens priùs confeſſus eſt: qui verò contra hæc ſtatuta facere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit.*

De Graff.1.parte lib.4.cap.15.num.14.
Henric.Henriq.lib.6.ſuæ Theologiæ.
Moralis cap 5.num.5.Gloſſa ſuper caput Epiſcopus, de pœnit.& re.
Nauarr. præ cæteris in Commentariis ſuper caput Placuit. De pœnitentiis, diſt 6.ſuprà citatum.

IN primitiua Eccleſia poterant Fideles cuiuis Sacerdoti cõfiteri, vſq; ad tempus Vrbani Papæ II. qui poſteà Decretum edidit relatum à Gratiano *cap.Placuit,de pœnit.diſt.*6.(qui fuit circiter anno milleſimo) quo Decreto iuriſdictio illa Confeſſariorum communis & indiſtincta, ita reſtricta fuit, vt in poſterum ſi-

deles non poſſint confiteri peccata ſua, niſi proprio Sacerdoti, hoc eſt, Parocho ſuo, ſeu alteri de licentia illius: quæ Pontificalis conſtitutio ſine interruptione obſeruata fuit, confirmata in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. qui fuit anno 1128. vt relatum eſt in 5. *Decretaliũ, tit. de pœnit. & remiſſ. cap. Omnis vtriuſque ſexus*, vbi de nouo ſancitum fuit, vt omnis fidelis peccata ſua cõfiteretur ſuo Parocho, ſaltem ſemel in anno, & ab eo ſacram communionem reciperet in Paſchate, & propagata fuit vſque ad Concilium Trident. *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. ſub Pio IV. vbi præallegata conſtitutio approbata fuit, tali cum moderatione, vt etiam fideles poſſint confiteri alteri Sacerdoti, modò in Confeſſarium per Epiſcopum ſit admiſſus & approbatus, & quod iam Parochus amplius non habeat poteſtatem dandi licentiam ſuo ſubdito, vt cuiuis alteri Sacerdoti confiteatur.

CAPVT

CAPVT VI.

De poteſtate Mendicantium, & Regulariũ, ad audiendas Confeſſiones, tum ſuorum, tũ aliorum fidelium, iuxta priuilegia eis tradita.

Difficultas rei propoſitæ.

DIFFICVLTAS rei propoſitæ non parua diiudicatur, imò variis modis intrincata ob varietatẽ priuilegiorum, quæ Religioſi obtinuerunt, etiam ad audiendas Confeſſiones, tum etiam ob multiplices ſummorum Pontificum & Conciliorum diſpoſitiones dietim naſcentes, quæ priuilegia illa ita variè immutant, vt magis etiam periti ſæpè tunc in incertum currant. *Hieronymus à Sorbo in ſuis Annotationibus ſuper titulum Abſolutio quoad ſæculares. 2. in Compendio priuilegiorum Mendicantium.* 1.

Qui Ordines Mendicantium.

2. MEndicantes Ordines hic dicuntur, non ſolùm Ordo Franciſcanorum, Auguſtinianorum, Dominicanorum, & Carmelitanorum, ſed etiam ſeruorum Virginis Mariæ, Ieſuitarũ, Ordo ſancti Frãciſci de Paula, & ſimilium, qui viuunt collegialiter de eleemoſynis in Religione approbata. *Viuald. de abſolut. num. 20.*

Quid ſit communicatio Priuilegiorum.

3. COmmunicatio priuilegiorum obſeruanda eſt in hoc maximè negotio, qualis ſcilicet habetur inter diuerſos Religioſorum Ordines, ita vt qualia priuilegia vnus Ordo habet, & ſimilia cæteri Ordines ferè ſemper habere videntur per communicationem illorum à ſummo Pontifice obtentam. *Collector titulo Communicatio priuilegiorum in Compendio priuilegiorum Fratrum Minorum.*

Quid mare magnum Mendicantium.

AMpliſſima eſſe huiuſmodi Priuilegia videre licet, maximè in illorum mari magno. Eſt autem huiuſmodi mare magnum compilatio quædā multorum Priuilegiorum ibi mixtim confuſéque contentorum. Prædictum autem iſtud mare magnum, ſeu compilationem Priuilegiorum fecerunt diuerſi ſummi Pontifices pro diuerſis Religionibus, & pro diuerſis temporibus, colligendo priuilegia Prædeceſſorum, addēdo ſua. Quoad ergo Fratres Minores, Alexander IV. Innocentius, & Clemens IV. Honorius IV. Bonifacius VIII. & Eugenius IV. Fecerunt ſinguli ſuū mare magnum, ſed tandem Sextus IV. colligendo omnia prædictorum Pontificū, & inſuper addens plura, fecit mare magnum Fratrum Minorum præ cæteris celebratum, quod incipit, *Regimini vniuerſalis Eccleſiæ.* Mare magnum Ordinis Prædicatorum fecit Gregorius II. Eugenius IV. & tandem Sixtus IV. & incipit, *In nomine Domini.* Mare magnū Auguſtinianorum fecit Innocentius IV.

Eugenius IV. Nicolaus III. & tandem Sixtus IV. in Priuilegiis, *Dum fructus vberes*. Mare magnum Carmelitarum fecit idem Sixtus IV. in Priuilegiis, *Dum attenta*. Poſt hæc à tempore Sixti IV. additus eſt Ordo Minorum, quorũ mare magnum fecit Sixtus IV. Et tandem Iulius II. in Priuilegiis, *Dum ad ſacrum*; & ſic de cæteris Ordinibus tam Mendicantium, Monachorum, quam Regularium: nullus enim eſt illorum qui mare magnum ſuum non habeat, hoc eſt copioſam priuilegiorum congeriem, à ſummis Pontificibus obtentam, & dietim ab iiſdem incrementum ſuſcipientem. Auth. de Cordeba in Annotationibus, ſuper titulum Priuilegia Fratrum in Compẽdio Priuilegiorum Mendicantium.

Vti iſti mari magno fuit derogatum.

QVidquid autẽ illud mare magnum ſit, ſeu cõgeries illa Priuilegiorum, nihil certius tamen eſt, quàm quòd fuerit derogatum, primò per Concil. Trid. ita vt ſummi Pontifices Concilio ipſo poſteriores, dum rogati confirmãt ipſorum Fratrum priuilegia, communiter vti ſolent hac clauſula: *Dummodò in vſu*, &

& Canonibus, Decretiſque ſacri Concilij nõ contrarientur. Gregorius XIII. Conſt.35. & Conſtit.37.Sixtus V.Conſtit.26.vt in Bullurio magno : & ſic habetur expreſsè & nominatim de mari magno in Bulla Pij I V. quæ incipit: *In principis Apoſtolorum Sede.* Hieronymus à Sorbo in Cõpendio Priuilegiorum,tit.*Priuilegia Fratrum.* Secundò eiſdem Priuilegiis derogatur per Bullam Cœnæ Domini,vt expreſsè conſtat in §.*Cæterùm*, cuius tenor ſuprà poſitus eſt , vbi de Bulla illa diceretur ; tũ etiam per Conſtitutiones alias Pontificum, quæ caſus cõtinent ſummo Pontifici reſeruatos cum clauſula derogatoria *Nonobſtantibus*, ídque iiſdem rationibus & argumentis , quibus monſtratum fuit cap.3.derogatum fuiſſe per eadem poteſtati Epiſcopis conceſſæ , *in Concil.Trid.ſeſſ.* 24. *cap.* 6. niſi in contrarium ipſi Religioſi ſuorum præcedentium priuilegiorum obtinuerint cõfirmationem, iuxta priſtinam & antiquã illorum libertatem,& vſum anteriorem, quod contigiſſe adhuc non omnibus conſtat; *de Graff.*1.*p.lib.*1.*cap.*13.*num.*34. *Nauarr.tit.de regularibus,Concil.*21.*nu.* 5. variis rationibus probat priuilegiis per clauſulam illam *Nonobſtantibus*, & ſimi-

lem in lege poſitá derogari. Poſſet quidem obiici in contrarium quòd Collector proponit in compendio illo priuilegiorum, *tit. Priuilegia Fratrum, quæſt.* 1. nimirum in pleriſque Conceſſionibus Ordini ſuo factis, & in magno illo mari ſuo, & in multis aliis ſuis Priuilegiis additum fuiſſe, quòd non intelligantur reuocata niſi de his fiat mentio de verbo ad verbum : quòd videtur conſonare Gloſſæ illi celebri ſuper Extrauagante *de officio delegati lib.* 1. *Extrauagantum communium.* qua fertur Conſtitutioné principis quantumcunque publicè & ſolenniter edita fuerit, etiamſi omnes nonobſtantias ſeu derogationes contineat, non tollere ſpecialia priuilegia, ſtatuta, vel conſuetudines, niſi expreſsè talia per eam tollantur: hinc *Viuald. in* 4. *parte Cādelabri, cap.* 10. ex multis Doctoribus per eum ibi citatis concludit per clauſulam generalem derogatoriam, ſcilicet quibuſcunque exemptionibus nonobſtantibus, non includi priuilegia in Corpore Iuris contenta, licèt de cæteris quæ ſparſim extra Corpus Iuris ſunt id aſſeuerari non poſſit; ſunt enim infinita & præ multitudine eorum meminiſſe tunc impoſſibile eſt. Quæ cóclusio licèt iure

com

communi nitatur, & firma ſit, maximè quantum ad partes multum ab Italia remotas, & aliis poſſit eſſe ſtylus orbis, tamen quantum ad partes Italiæ, & finitimas, ſtylus vrbis aliud ſentit, & tenetur ſufficientem derogationem fuiſſe per clauſulam derogatoriam generalem *Non obſtantibus*, & ſimilem, etiamſi ſpecialis etiam de eo non fuerit facta mentio.

De poteſtate Mendicantium, Monachorum, & Regularium abſoluendi ſuos ſubditos.

PRælati Religioſorum eamdem poteſtatem habent in ſuos ſubditos quoad forum conſcientiæ, qualem habent Epiſcopi in ſuos diœceſaneos. *Ex Concilio Tridentino ſeſſ. 24. cap. liceat Epiſcopis.* cuius ſeſſionis verba relata ſunt ſuper caput 13. & huc referenda, & relegenda. *Pius V. in Extrauag. Ad perpetuam rei memoriam. Hieronymus à Sorbo in Compendio priuilegiorum, tit. Reſolutiones materiæ abſolutionum quoad Fratres, & quoad ſeculares. & Nauarr. tit. de ſponſalibus conſil. 5. num. 2.* 1.

Quia poteſtas ipſa Prælatis, ſeu Supe- 2.

rioribus Religioſorum tradita eſt ex priuilegio officij, ſeu dignitatis, pariter ipſa delegari poteſt aliis inferioribus, & Prælati illos poſſunt conſtituere Confeſſarios ſui ordinis ad ſibi ſubditos de confeſſione audiendos. Eſt autem ſimplex differentia inter Prælatos ipſos, & ſuos ſubdelegatos Confeſſarios. Altera, quòd Prælati poſſunt ſuos Fratres abſoluere à caſibus, & cenſuris (in quibus eis conceſſum eſt) etiam extra confeſſionem, cùm id poſſint ex iuriſdictione ordinaria quamuis delegata. Confeſſarij autem reliqui (quia non ſunt niſi ex nuda commiſſione) non poſſunt beneficium abſolutionis impendere, niſi ſacramentaliter, hoc eſt, præeunte ſacramentali confeſſione. Altera eſt, quòd ipſi Confeſſarij inferiores non poſſunt Fratres ſuos abſoluere à caſibus, quos Prælati ſui ſibi reſeruarunt, vel de iure illis ſunt reſeruati, vt ſunt, qui ſequuntur à Papa Clemente modò conſignati, niſi ſpecialem licentiam in eis à Superioribus obtinuerint. *Nauarr. c. 27. num. 45. Collector priuilegiorum in Compendio, tit. Abſolutio ordinaria quoad Fratres.*

3. Prælati generales, & principales ordinum Mendicantium, & aliorum, com-

munionem

munionem ſuorum priuilegiorum habentium, etiam illi, quibus ſuam auctoritatem delegauerint (habita ipſorum priuilegiorum confirmatione) poſſunt ſubditos ſuos abſoluere ab omnibus caſibus, cenſuris, & pœnis, à iure, vel generaliter ab homine latis, ſummo Pontifici quomodolibet reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, ex priuilegio per Sixtum IV. eis conceſſo, quatuor tantùm exceptis: vti ſunt hæretici, ſchiſmatici, & qui literas Apoſtolicas falſificaſſent. *Collector priuilegiorum in Compend. tit. abſolutio ordinaria quoad fratres.*

§. 13. Si autem nulla ſit priuilegiorum confirmatio poſt Concilium, Cœnam Domini, & huiuſmodi conſtitutiones Pontificum derogantes, tunc Prælati illi in ſuos ſubditos, & in foro conſcientiæ camdem ſolùm poteſtatem habent (vt dictum eſt) quam habent Epiſcopi in ſuos diœceſaneos iuxta terminos iuris communis, ſeu Concilij Tridentini, & ſimilium. Et qualis ſit ipſa poteſtas, ſatis dictum fuit *cap.* 3. immò ipſos ſolùm quaſi Epiſcopalem poteſtatem modò habere, & priuilegium Sixti IV. ſuprà poſitum ad id reſtrictum per Gregorium XIII. viuæ vocis oraculo docet *de Graff.*

1.*part.lib.*1.*cap.*13.*num.*94.

4. Eodem iure poſſunt Superiores Religioſorum Mendicantium, & omnes alij ſuis priuilegis fruentes, diſpenſare in omni irregularitate, excepta ea, quæ prouenit ex homicidio voluntario illicito, & à bigamia. *Uiuald. de diſpenſatione quoad fratres, num.* 326. immò & viuæ vocis oraculo Pij V. *Hieronymus à Sorbo in ſuis annotationibus, ſuper titulum Reſolutiones materiæ abſol. in Compend. Nauarr. tit. de ætate præficiendorum. conſil.* 9. Quo vocis oraculo priuilegia Fratrum in ſuum penè antiquum vigorem reducuntur hac in parte, nonobſtante omni præcedente derogatione: & in hoc paulò amplior eſt facultas Superiorum Religioſorum, quàm quæ Epiſcopis in Concilio fuit conceſſa. Cæterùm *Tolet. lib.* 1.

5. Poſſunt cum ſuis (ſi opus fuerit) defectum natalium patientibus, cum rehabilitatione, & abſterſione inhabilitatis, & infamiæ macula diſpenſare, etiam quantum ad dignitates, & prælaturas.

6. Religioſus cenſura, ſeu irregularitate abſolutus per Prælati ſui viſitationem, etſi tunc ligaminis non meminerit, dum tamen in poſterum illius recordatur, ſolùm tenetur ſimplici Confeſſario approbato

probato de peccato confiteri, non autem de cenſura, ſeu irregularitate, cùm anteà etiam neſciens à ſuo Superiore ſic fuerit abſolutus. *Sylueſt. verbo confeſſio. 1. §. 7. Nauarr. cap. 27. num. 13.*

Caſus reſeruati omnibus Religioſorum Prælatis Superioribus, ex decreto Clementis VIII.

A *Sorbo in annotationibus ſupra titulum Abſolutio ordinaria quoad Fratres. in Compendio priuilegiorum.* Quia S. D. N. iampridem accuratè perpendit, quòd reſeruatio facultatis abſoluendi Religioſos pœnitentes à quibuſdam peccatis grauioribus, niſi Superiores admodùm prudenter illa vtantur, nonnullos infirmiores, qui interdum Superiori ſuo conſcientiæ maculas detegere formidant, adducere poſſe in æternæ damnationis periculum, & ſpiritualis remedij deſperationem: ideò vt huic malo ſua Sanctitas opportunè proficeret, decreuit, vt nemo regularium Superiorum peccatorum abſolutiones ſibi reſeruaret, exceptis his, quæ ſequuntur, aut omnibus, aut aliquibus eorum, prout ſubditorum ſaluti expedire prudenter in Domino

mino indicauerit.

1. Veneficia, incantationes, ſortilegia.

2. Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiue relicto, quando eò peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, ſeu Conuentus fiat egreſſio.

3. Proprietas contra vota paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.

4. Lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus.

5. Nocturna, aut furtiua à Monaſterio egreſſio, etiam non animo apoſtatandi facta.

6. Occiſio, aut vulneratio, ſeu grauis percuſſio cuiuſcumque perſonæ.

7. Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum à Superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad Superiores.

8. Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo.

9. Procuratio, auxilium, ſeu conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſequuto.

10. Falſificatio manus, ſeu ſigilli Officialium Monaſterij, ſeu Conuentus.

11. Furtum de rebus Monaſterij, ſeu Conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale. Nauarr. in ſua Summa.

ma reſtrinxit ad quartam partem Iulij, ſeu regalis, vt furtum ratione materiæ non ſit peccatum mortale, *cap.17.num.3.* Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm generalis Capituli in toto ordine, aut prouinciali in prouincia matura diſcuſſione, & conſenſu.

De poteſtate Mendicantium, & Regularium abſoluendi ſeculares perſonas, iuxta priuilegia ſua, vbi expenditur Clementina Dudum. tit. de ſepulturis. *quoad præſentationem Confeſſariorum.*

PRiuilegia Fratrum ad audiendas ſecularium confeſſiones pariter reſtricta ſunt, vt monſtratum fuit, partim derogata quoad ſuos. Caput autem, & quaſi fundamentum totius diſputationis petendum eſt è Clementina *dudum. tit. de ſepulturis,* & ipſa expendenda eſt iuxta Concilij decretum in hanc rem editum. Et primò quod in dicta Clementina *dudum. §. ſtatuimus,* & in Concilio 1.

lio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 12. tenentur petere Prælati Fratrum ab Epiſcopis, ſeu Vicariis eorum, vt placeat illis, quo Fratres ipſi ad id per ſuos Superiores nominati poſſint in ſuis ciuitatibus, & diœceſibus liberè ſubditorum confeſſiones audire, & ſalutares pœnitentias imponere, & cum ſua facultate, & bona venia abſoluere: ex quo apparet, ante omnia Fratres, qui ſecularium confeſſiones audire volunt, debere per ſe, aut per Superiores ſuos licentiam ab Epiſcopis petere.

2. Ex §. ac deinde, Fratres huiuſmodi debebant Epiſcopis præſentari, & tunc ſi Epiſcopi præſentatos non admitterent ad id officij, nempe audiendi ſuorum confeſſiones ſine iuſta cauſa, tunc petita, etiam non obtenta licentia, poterant virtute priuilegiorum ſuorum ſeculares audire, & abſoluere: quod tamen modò ſaltem ſecundùm quid abrogatum eſt per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 1. *cap.* 15. vbi nullus etiam regularis poteſt confeſſiones etiam ſecularium audire, neque ad id idoneus reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen (ſi illis videbitur eſſe neceſſarium) aut aliàs idoneus

neus iudicetur, & approbetur, quæ gratis detur obtineat: quaſi inferat Concilium, non ſolùm opus eſſe, vt Religioſi Ordinario ſe præſentent, & licentiam petant ad audiendas ſecularium confeſſiones, ſed etiam opus eſſe, vt ſubeant Epiſcopi examen, vt capaces approbentur, quamquam aliàs licentiati, ſeu doctoratus gradu promoti eſſent, vt expreſsè declararunt ſummi Pontifices Pius V. *conſtitutione* 136. Gregorius XIII. *conſtitut.* 15.

Intereà cùm de præſentatione ipſa regularium Confeſſorum nulla ſit Concilij Trid. obſtantia, quod ſcilicet vt notauit *Nauarr. in Manuali cap.* 27. *nu.* 262. Frater præſentatus in Cõfeſſarium Epiſcopo, & nolente eum admittere ſine iuſta cauſa, poteſt ille præſentatus perinde in Confeſſarium ſe gerere, ac ſi expreſsè fuiſſet admiſſus, petita (vt dicunt) licentia, non obtenta; vt cùm quis Religioſus peteret à Superioribus licentiam tranſeundi ad Regulam ſtrictiorem, & ei ſine cauſa denegaretur, non enim Concilium. *Seſſ.* 23. *cap.* 15. videtur voluiſſe derogare iuri communi & aliis plenariis Conciliis, cum de eo nulla ibi facta fuerit mentio: quinimò Concilium tunc Epiſcopis nihil aliud cõcedit quàm 3.

nudum

nudum miniſterium, nempe vt tanquam à ſede Apoſtolica delegati tales præſentatos Religioſos debitè examinatos approbent, ita vt ipſa approbatio ſit ſolum cauſa ſine qua non, & non propriè iuriſdictionis; habent enim ipſi Regulares immediatè à ſummo Pontifice id priuilegij audiendi Fidelium confeſſiones, Epiſcopi verò ſolum rationem approbandi præuio examine. Hieronymus à Sorbo in Annotationibus ſuper *tit. Abſolutio quoad ſæculares primo*, *& Collector ibidem*, *ex Concil. Lateranenſi. §. 15. idem Hierony. à Sorbo in ſuis Annotationibus ſuper Titulum Abſolutio quoad fratres primo, & ſuper Titulum Reſolutiones materiæ abſolutionum quoad Fratres, & ſæculares.*

4. Regulares & alij Religioſi ab ordinario approbati poſſunt virtute ſuorum priuilegiorum abſoluere ab omnibus excommunicationibus iure ipſo reſeruatis ſummo Pontifici (exceptis in Bulla Cœnæ contentis) vti Patres Societatis *Ieſu* per Paulum III. prout habetur in Compendio priuilegiorum Fratrum Minorum. *tit. Abſolutio quoad ſæculares*, tamen Papa Clemens VIII. quandam adhibuit moderationem quoad partes Italiæ, potiſſimum Religioſis obſeruandam,

dam,per quoddam decretum relatum in eodem Compendio, *tit. Reſolutiones materiæ abſolutionum.* quod ſcilicet non poſſint abſoluere à caſibus ſequentibus. 1. à caſibus in Bulla Cœnæ Domini contentis. 2. à caſu violationis clauſulæ monialium ad malum finem. 3. violationis immunitatis Eccleſiæ in terminis Conſtitutionis Gregorij XIIII. quæ incipit: *Cùm alias nonnulli.* 4. prouocantium in duello iuxta decretum Concilij Tridét. & Conſtitutionis Gregorij XIII. incipientis: *Ad tollendum.* 5. iniicientium manus violentas in Clericos, iuxta Canonem: *Si quis ſuadente diabolo.* 6. nec à iuris diſpoſitione circa ſimoniam realem ſcienter contractam; & confidentiariam beneficialem. 7. nec ab omnibus caſibus quos Ordinarij reſeruarunt, vel in poſterunt reſeruabunt: in quibus caſibus enumeratis duntaxat denegata eſt Regularibus poteſtas abſoluendi, nonobſtante quouis priuilegio, & ſi quid poſſint in cæteris caſibus virtute ſuorum priuilegiorum abſolutionis beneficium impendere.

Cur Regulares ſeu Religioſi alij præſumentes abſoluere à vinculo excommunicationis iure ipſo latè incurrant 5.
excom

excommunicationem ſummo Pontifici reſeruatam, non autem ſi ſic abſoluerent à ſententia, ſeu excommunicatione ab homine lata. Ratio redditur quia priori modo contemnitur lex & auctor eius; poſteriori verò tantum contemnitur homo, & ita mitiùs tunc agitur, *de Graff. 1. parte lib. 1. cap. 13. num. 26.* Sciendum intereà eſt ipſos Regulares per ſua priuilegia poſſe abſoluere ab excommunicationibus multis iure latis, & per conſequens ſuperiorem concluſionem ſic eſſe limitandam.

6. Religioſi ſic ab Epiſcopis approbati & admiſſi, non poſſunt abſoluere quoſcumque ad ſe venientes poſt Concil. & ſi anteà potuiſſent, ſed ſolum diæceſaneos Epiſcopi, qui illos admiſit. *de Graff. in deciſionibus aur. 1. parte lib. 1. cap. 13. num. 109.*

7. Quòd ſemel admiſſus, ſeu approbatus pro ſemper admiſſo ſit habendus, donec ſucceſſor Epiſcopi qui eum admiſit, approbationem illam reuocauerit. *Hieronymus à Sorbo in Annot. ſuper tit. Præſentatio Confeſſorum.*

8. Approbatus ab vno Epiſcopo non approbatus eſt pro quouis alio Epiſcopatu, vt anteà habebatur, ita vt ſi fuerit

ab

ab vno Epiſcopo approbatus, in aliena tamen diæceſi non poterit audire de confeſſione ſubditos loci ſine Ordinarij approbatione. *ex Concil. de Graff. 1. parte lib. 3. cap. 5. num. 109.*

Cum virtute Iubilæi, ſeu ſimilis Bullæ, 9.
datur poteſtas pœnitenti ſibi eligendi Confeſſorem, neque etiam Religioſus tunc poterit cuipiam ſæcularium abſolutionem impendere, niſi (vt dictum eſt) etiam ab Ordinario ſit approbatus, *ex Concil. Seſſ. 23. cap. 25. vt Viuald. de Abſolut. num. 27.*

Si in dicto Iubilæo, ſeu Indulgentia 10.
detur facultas, vt pœnitens abſoluatur per quemcunque Confeſſorem approbatum, etiam Regularem ab omnibus caſibus reſeruatis ſummo Pontifici, & intereà Epiſcopus aliquot caſus ex ipſis reſeruauerit; non poterit tunc Confeſſarius admiſſus abſoluere ab his caſibus in quantum Ordinario ſunt reſeruati ex illa ſimplici approbatione, niſi etiam ſpecialis de eo detur permiſſio; ídque ex Concil. & iure nouo. *de Graff. 1. parte lib. 1. cap. 13. num. 62.* quamquam id poterant ex conſuetudine. *Nauarr. cap. 27. nu. 255.*

Quando fertur excommunicatio ab 11.
homine ad inſtantiam partis, vt ſcilicet

qui

qui furati ſunt talia bona, & qui tale furtum fecerit & reus non poſſet ſoluere, etiam ſi vellet, tunc non incurrit ipſe excommunicationem: ſi autem poſteà poteſt, & non ſoluit eam, incurrit, quia eò vſque durat vis excommunicationis, vt etiam cùm lata fuit excommunicatio, fur ille poterat ſoluere & noluit, & ſi in poſterum inops fiat, & non poſſit reſtituere, non minus talem etiam incurrit cenſuram. *Viuald. in Candel. aureo 2.parte, tit. de excommunicatione, nu.* 109.

12. Poſſunt ipſi ſæculares abſoluere ab omni excommunicatione à iure non reſeruata. *Tolet. lib.* 1. *cap.* 16. ſiue ab homine generali, non autem ſpeciali, & cum denuntiatione perſonæ, modò parti ſatisfaciant, & Eccleſiæ mandatis obtemperent, nec tunc cùm iam interceſſit litis conteſtatio, parte inquam non ſatisfacta, ſeu non conſentiente, *de Graff.* 1. *p. lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 71.

13. Poſſunt regulares ſic admiſſi, vti quiuis alius Confeſſarius approbatus, abſoluere pœnitentem à caſu reſeruato ſuo Epiſcopo in ſua diæceſi, cùm ipſi Confeſſarij fuerint ſic admiſſi in Epiſcopatu alio, vbi talis caſus non fuerit reſeruatus, *de Graff.* 1. *p. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 46. *Viuald. de Abſolut.*

Abſolut. num. 58. Ea intereà cum conditione ſuprà notata, ſcilicet ne pœnitens talem abſolutionem fraudulenter procuret obtinere.

Poſſunt Religioſi ipſi, dum ſunt in itinere, & requiruntur audire de confeſſione, ſine licentia Ordinarij (ſi commodè ea non poteſt haberi) ex priuilegio tales audire, licet illo parcè ſit vtendum, ex Greg. XIII. vt citat Hieronymus à Sorbo in Annot. ſuis, ſuprà tit. *Abſolutio quoad ſæculares* 1. Intereà ex Concil. vt ſuprà, ſimpliciter ipſi Regulares, ſeu Mendicantes non poſſunt ſæculares audire de confeſſione, niſi ſint ab Ordinario approbati: quare conſultò videndum eſt, an tali decreto Concilij ſit derogatum per priuilegium iam adductum. 14.

Abſoluere poſſunt Parochianos alicuius Parochi (ſic admiſſi per Ordinarium) ſine licentia illius. *Nauarr. cap.* 27. *num.* 266. Et licet tales non poſſint audire & abſoluere, etiam ſecundum Nauarr. loco citato, & multos alios extra diœceſim, in qua fuerint præſentati: tamen affirmatè tenetur tunc, & ibi poſſe in Compend. priuilegiorum, *tit. Abſolutio quoad ſæculares* 1. *per Collectorem.* §. 11. *ex Sixto Papa* 4. *de Graff.* 1. *parte lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 45. 15.

16. Poteſt Religioſus de licentia ſui Superioris admiſſus, audire confeſſiones, non ſolum ſuorum, ſed etiam aliorum nempè Religioſorum, ſeu Conuentus, qui pariter licentiam habent à ſuis Superioribus, cuique confitendi, etiamſi non fuerit approbatus ab Epiſcopo, quamquam ſine ipſa approbatione nullum poſſit audire ex ſubditis ipſius Epiſcopi *de Graff. loco ſuprà dicto num.* 55.

17. Poſſunt virtute ſuorum priuilegiorum confiteri Sacerdotibus regularibus vel ſæcularibus, idoneis tamen, & ſi non approbatis, modò ad id facultatem etiam à ſuo Superiore habeant. *Nauarr. cap.* 4. *manualis num.* 2. *Viuald. de conf. num.* 28. *de Graff.* 1. *parte lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 107.

18. Regularis ſeu Religioſus ſemel & ſimpliciter approbatus ab Ordinario, ſine cauſa grauiſſima ſuperueniente, non poteſt ab Epiſcopo reuocari, & ſic ſemel pro ſemper præſentatus ſit habendus, vt iam dictum eſt; licet ſi fuerit admiſſus non ſimpliciter ſed ſecundum quid, vt ad tempus, poteſt ab eodem Ordinario reuocari, vti abſolutè reuocatio fieri poteſt facultatis ab Ordinario conceſſæ ſimplici ſeu ſæculari confeſſario. *Viuald. de confeſſ. num.* 27.

Semel

Semel præſentatus & admiſſus Reli- 19.
gioſus mortuo Epiſcopo, ſeu moto ab officio qui eum admiſerat, poteſt etiam confeſſiones audire illius diœceſis. *de Graff. loco ſuprà dicto num. 49. Silueſt. verbo Confeſſorum. §. 4.* Idque ſi ſimpliciter fuerit admiſſus ab Ordinario, nam ſi conditionaliter & ad beneplacitum Ordinarij ſeu ad tempus ſit admiſſus, morte ipſius Ordinarij ſpirat Confeſſarij poteſtas. *Aug. verbo. 3. num. 25.*

Poſſunt Regulares, ſeu Religioſi, ab 20.
Ordinario ſic approbati, abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, ſi non habent excommunicationem reſeruatam. *Silueſter verbo Confeſſor. 2. §. 5. Auguſt. verbo confeſſio. 3. num. 28.* ídque etiam ex antiquo iure, & ante Concilium, cum modò id non poſſint, niſi ex conſuetudine; quæ conſuetudo licet non poſſit conferre iuriſdictionem, tamen teſtis eſt & interpres tacitæ Epiſcopi licentiæ, dum nimirum ipſe videt & tacet, ſícque conſentire videtur. *Henric. Henriq. 1. p. lib. 6. cap. 18.*

Vltimò multa & alia poſſunt Regu- 21.
lares ſic approbati, quæ diffuſiùs alibi poterunt videri, maximè in hoc noſtro Tractatu, *cap. 4. & 5.* quidquid enim ibi

de poteſtate parochi, & ſimplicis Confeſſoris eſt, de poteſtate Regularis admiſſi intelligendum eſt, paucis ſaltem exceptis.

22. Poſſunt intereà huiuſmodi Religioſi Confeſſarij approbati ab Ordinario diſpenſare ſubditos illius in omnibus votis, in quibus Epiſcopi poſſunt, niſi (iure antiquo) in votis peregrinationis vltra duas dietas quæ ſunt viginti leucæ, imo ſimpliciter vt eis conceſſum eſt à multis ſummis Pōtificibus ante, & poſt Concilium Trid. ſicut videre licet, *in Compendio priuilegiorum Fratrum Minorum, tit. Abſolutio quoad ſæculares primo, & ſecundo in tit. Reſolutiones materiæ abſolutionum.* Pari iure & priuilegio poſſunt ipſi regulares Confeſſarij commutare in foro conſcientiæ omnia ipſa vota, quæ poſſunt Epiſcopi, ſícque ſolum quinque excipiuntur quæ communiter ſummo Pōtifici reſeruantur, vti ſunt, *votum Religionis, caſtitatis perpetuæ, Hieruſalem, Romæ, ſancti Iacobi de Gallacia:* quia cum habeant priuilegium, vt dictum eſt, in eis diſpenſandi, eorumdem priuilegium extenditur ad poteſtatem eadem commutandi, (& ſi nonnulli aliter ſentiant) ídq; tenet *Viuald. in ſuo Candel. aureo correcto.*

5. parte

5.parte operis cap. 14. num. 4. vbi de voto. Pariter Tolet.& ſi percinctè *lib.*4.18. docens (quod plus eſt) & eius eſſe diſpenſare cuius eſt commutare, modò diſpenſatio ſit ex debita cauſa, quam tamen commutatio non ſic neceſſariò requirit, & omnium apertiſſimè *Silueſter verbo votum.*4.§.3.*num.*3. nimirum poſſe commutare, qui poteſt diſpenſare, & è contrario. Extat expreſſiſſima Bulla Pauli III. id concedentis Ordini Societatis IESV, nempè poſſe per ſuos Confeſſarios huiuſmodi vota commutare; quæ incipit: *Cùm inter cunctas.* Et habetur in fine Compendij ſuprà dicti, & in principio eiuſdē memorata, *tit. Abſolutio quoad ſæculares primo*, inter Annotationes Hieronymi à Sorbo: sícque poſſunt cæteri Religioſi, & regulares per communicationem priuilegiorum.

Non ſolum poſſunt Regulares ipſi & Religioſi diſpenſare & commutare vota ipſa, ſed etiam poſſunt diſpenſare in iuramentis, eiuſdem materiæ, cùm nempe quis iurauit ſolum aliquid agere & non ſimul promiſit, ídque ex diuò Thoma & Soto; vti habetur in Compendio, *tit. Reſolutiones materiæ abſolutionum quoad fratres & ſæculares*, inter Annotationes 25.

Hieronymi à Sorbo.

2. Poſſunt etiam de licentia ſuorum Prouincialium diſpenſare cum inceſtuoſis cauſa copulæ carnalis mariti cum conſanguinea vxoris, vel vxoris cum conſanguineo mariti, ídque ex priuilegio ſummorum Pontificum, & olim vſque ad quartum gradum, modò exercetur huiuſmodi poteſtas vſque ad 2. gradum, cùm huiuſmodi affinitas ſic reſtricta ſit, & non vltrà extendatur, iuxta decretum Concilij Trident.

Poſſunt pari iure diſpenſare cum illis qui facto voto ſimplicis caſtitatis matrimonium contraxerunt, vt poſſint petere debitum, vt in Compendio, & loco ſuprà dicto.

Quæſtio ſpecialis, an Religioſi etiam ab Ordinario approbati, poſſint abſoluere à Caſibus Epiſcopis reſeruatis: deſumpta ex Clementina *Dudum*, ſuprà citata. §. *Nequaquam intendimus.*

Verba Clementinæ.

Nequaquam intendimus (dicit ibi Clemens V.) *perſonis ſeu Fratribus ipſis ad id*

id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem, quàm Curatis & Parochialibus Sacerdotibus eſt à iure conceſſa: niſi forſam eis Eccleſiarum Prælati vberiorem in hac parte gratiam ſpecialiter ducerent faciendam.

PRimò *videndum eſt quid à iure Parochis ſit conceſſum:* hoc autem nihil aliud poteſt eſſe (vt quam benè Gloſſa annotauit in extrauaganti ſuper Cathedram) niſi (poteſtate Ordinis & iuriſdictione ex officio concurrente) abſoluere ſubditos à peccatis; & vt vno verbo dicatur, illis conceſſum à iure eſſe quoad forum pœnitentiale, quidquid Epiſcopis non eſt reſeruatum, ſic etiam Silueſter, verbo *Caſus.* §.3. 1.

Triplices eſſe caſuum ſpecies qui Epiſcopis reſeruantur, de quibus diffusè ſuprà cap. 3. alij enim ſunt caſus à iure, alij ex antiqua conſuetudine, alij ex priuata Prouinciali, ſed Synodali conſtitutione. 2.

Poterant omnes mendicantes regulares virtute ſuorum priuilegiorum (vt dicunt) ſuo Mari magno abſoluere, non ſolum ab omnibus caſibus reſeruatis ſummo Pontifici, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, quatuor aut quinquè 3.

ſolum exceptis) imo ſimpliciter ab omnibus caſibus reſeruatis Epiſcopis, vti videre licet in Compendio priuilegiorum, *tit. Abſolutio quoad ſæculares primo & ſecundo.*

4. Progreſſu temporis tandem derogatũ fuit huiuſmodi priuilegiis, etiam quantum ad ipſos caſus Epiſcopis reſeruatos, ita vt Bonifacius 8. qui fuit anno 1291. in ſua extrauaganti *Supra Cathedram*, tit. de ſepulturis, expreſsè decreuerit huiuſmodi Fratribus in hoc negotio confeſſionis audiendæ, nihil aliud eſſe conceſſum quàm quod Sacerdotibus Parochialibus à iure conceditur. Quæ Clemẽtina poſteà confirmata fuit per Benedictum 11. qui fuit anno 1333. vt habetur in extrauagante eius *inter cunctas, tit. de Priuilegiis.* Tandem etiam confirmatum fuit huiuſmodi Decretum per Clementẽ V. qui fuit anno 1342. in Clementina *dudũ. Tit. de ſepulturis*, quam expreſsè in hanc rem edidit, & iiſdem verbis confirmauit. Cæterum & ſi in huius Decreti expoſitionem non omnes Doctores conueniãt, vt conſtat apud Silueſtrum, verbo *Confeſſor.* 2. §. 5. & quidam teneant Religioſos ſic admiſſos poſſe abſoluere à caſibus omnibus, exceptis præcisè iure ipſo reſeruatis

ſeruatis Epiſcopo, vel Superiori, quanquam poſſint à reſeruatis ipſi Epiſcopo ex conſuetudine, vel conſtitutione, vel beneplacito alio, ita vt opinione illorum valeant Religioſi abſoluere ab omnibus caſibus reſeruatis Epiſcopo, modò non ſint à iure: aliorum tamen opinio & iuri congruentiſſima eſt, præfatos Religioſos ſeu Regulares præſentatos & admiſſos, nón poſſe abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopo, non ſolum à iure, ſed etiam conſuetudine, & voluntate: ídque colligitur apertiſſimè ex verbis Clementinæ ſuprà citatis, cum enim ibi Clemens V. dicat nequaquam ſe intendere perſonis ſeu Fratribus ipſis ad id taliter deputatis, poteſtatem in hoc impendere ampliorem quàm curatis, & Parochialibus Sacerdotibus à iure conceſſa eſt, liquidò conſtat non poſſe huiuſmodi Religioſos, Confeſſarios virtute ſui priuilegij abſoluere à caſibus Epiſcopo reſeruatis, etiam ex conſuetudine, ſeu priuata conſtitutione, cùm Parochis, ſeu Curatis communiter id ſit conceſſum quod Epiſcopis non eſt reſeruatum: tum etiam Gloſſa in extrauaganti *Super Cathedram*, innuere videtur: enumerãdo enim caſus Epiſcopis reſeruatos, includit

etiã qui ei reſeruati ſunt ex antiqua conſuetudine, vti Benedictus II. textualiter in ipſamet extrauaganti, imò ipſa dicta Gloſſa inter ipſos caſus enumerat ſtatutũ Synodale. Ad hæc eſt expreſſiſſima hac de re Clemẽtina *Religioſi, tit. de priuilegiis* ante edita, vbi dicitur ne Religioſi prçſumant abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopis, ſub pœna excõmunicationis Papę reſeruatæ, ſicq; ne abſoluant à ſententiis per Statuta Prouincialia, aut Synodalia promulgatis. Concilium Trid. ius præcedens innouans, & exprimens, omnem hac de re excludit difficultatem, *Seſſ.* 14. *cap.* 7. vbi nonobſtantibus quibuſcunque ſuppoſitis priuilegiis, decreuit, quod de caſuum quidem reſeruatione ſeu Papæ, ſeu Epiſcopis facta, nulla ipſorum caſuum reſeruatio ſit in articulo mortis, & ideò quod omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis tũc abſoluere poſſint, tamen extra ipſum mortis articulum nihil poſſe in caſibus ipſis reſeruatis; & id ſolùm ſupereſſe, vt pœnitentibus perſuadere nitantur ad Superiores & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis tunc accedere: & Concil. tunc cùm dicit omnes Sacerdotes, etiam Religioſos, & quoſuis ſæculares, quouis priuilegio munitos inclu-

dit, vti declarauit ſacra congregatio Cardinalium, cum qua refertur expreſſiſſimum decretum Clementis VIII. in hanc rem editum in Compendio priuilegiorum Fratrum Minorum, *tit. Reſolutiones materiæ abſolutionum quoad Fratres, & ſeculares.* poſt annotationes Hieronymi à Sorbo. Idem *Viuald. in Candelabro aureo, tit. de abſolutione. num.* 52. teſtatur, Gregorium XIII. decreuiſſe. *Et Ioannes Benedictus in ſua Summa, lib.* 5. *cap.* 2. §. 5. refert Cardinalem Boncompagne reſpondiſſe illuſtriſſimo Cardinali Boromeo ſic definitum fuiſſe ab ipſo Gregorio XIII. & ſacram Cardinalium congregationem nihil aliud tenere, nimirum Regulares ex priuilegiis ſuis à Sede Apoſtolica impetratis, ſeu confirmatis, præſertim ex eo quod nominant *Mare magnum*, non poſſe abſoluere à caſibus, quos ſibi reſeruat Epiſcopus.

Poſſunt Mendicantes, ſeu Regulares, 5. virtute Iubilæi, ſeu alterius Bullæ præbentis commoditatem ſibi eligendi Confeſſorem, confiteri de licentia ſui Superioris, Confeſſario ex tali licentia approbato, quamquam ab Epiſcopo non fuerit admiſſus, ſeu approbatus, modò

in Bulla non habeatur expreſſa, eligendum Confeſſarium debere eſſe ab Epiſcopo approbatum: nam tunc vltra licentiam Superioris requiritur etiam Epiſcopi actiua approbatio.

6. Licèt virtute talis indulgentiæ poſſit Regularis (dum indulgentia id ſonat) abſolui ab omnibus caſibus reſeruatis ſummo Pontifici, non ſequitur perinde poſſe abſolui à caſibus ſuo Superiori reſeruatis, eo non conſentiente, etſi forſan in Bulla id affirmatè exprimeretur, tum etiam de facultate eligendi Confeſſorem etiam alterius ordinis, vel ſecularem, vt declararunt in ſuis Bullis Sixtus V. Gregorius XIV. Clemens VIII. parcè tamen Regulares hoc priuilegio debent vti, inconſulto Superiore, immò nullo modo, dum hinc ſequeretur deformitas Religionis, ſeu regularis Obſeruantiæ. Et licèt indulgentiæ plus valcant quoad remiſſionem pœnæ, quàm ipſa regularis Obſeruantia, hæc tamen plus prodeſt quoad acquiſitionem præmij, & quod eſt melius, quàm illæ. *Nauarr. notabil. 31. num. 32. de Iubilæo.*

Reue-

Reuocatio priuilegiorum Mendicantium, & Regularium, ex Concilio Tridentino in multis aliis, præter ea, quæ dicta ſunt ſuprà de Confeſſione.

ANte Concilium poterant Mendicantes celebrare in quouis loco 1.
congruenti, & honeſto, cum ſuo altari portatili. *Nauarr. cap.25. num.*82. modò mandatur Epiſcopis, ne patiantur in priuatis domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria ab his Ordinariis deſignanda, & viſitanda; hoc ſacrificium Miſſæ à ſecularibus, aut Regularibus peragi, quibuſcumque priuilegiis non obſtantibus. *Seſſ.* 22. *de euitandis in celebratione Miſſarum.*

Eccleſiæ, altaria, cœmeteria, calices, 2.
ornamenta poterant in domibus Mendicantium benedici à quouis Epiſcopo (Catholico tamen) immò ipſi Mendicantes poterant ibi actus ipſos Epiſcopales exercere, & ſimiles alios in ſuos. Aſt in Concilio illud abrogatum eſt, *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. *de reformatione.* cùm ibi prohibetur, ne vlla Epiſcopalia liceat

Epiſcopo exercere in alterius diœceſi, niſi de Ordinarij expreſſá licentia.

3. Non poterant Fratres Minores, & ſic cæteri per communicationem, ratione delicti, aut contractus, ſeu rei, de qua contra ipſos Fratres ageretur, conueniri coram locorum Ordinariis, nec ipſi quoad hoc in eos ſuam exercere iuriſdictionem: modò quædam huiuſce priuilegij moderatio, ſeu correctio extat etiam per Gregorium XIII. adhibita, quòd ſcilicet, vt habetur in Concilio, *ſeſſ. vlt. cap.* 14. Regularis non ſubditus Epiſcopo, qui intra clauſtra Monaſterij degit, ſi extra illud ita notoriè deliquerit, vt populo ſit ſcandalum, ad inſtantiam Epiſcopi à ſuo Superiore intra tempus ab Epiſcopo præfigendum puniatur, ac de punitione Epiſcopum certiorem faciat, ſin minùs Superior ſuo officio priuetur, vt delinquens ab Epiſcopo puniri poſſit. *Ex ſeſſ. 6. cap. 3. de reformatione.* Nemo ſecularis, ſeu regularis Clericus extra Monaſterium degens, etiam ſui ordinis priuilegij prætextu tutus cenſeatur, quominùs ſi deliquerit, ab Ordinario loci tamquam ſuper hoc à Sede Apoſtolica Delegato, ſecundùm canones viſitari, puniri, & cor-

rigi

rigi valeat. Clemens VIII. idem confirmauit, quod ſuprà, in conſtitutione *Suſcepti muneris.* cum clauſula *Non obſtantibus.*

4. Diſpenſare poterant ſuos de minoritate, & defectu ætatis, ad ordines ſuſcipiendos, modò ex Concilio, *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. mandatur, nullum ſimpliciter in poſterum ad ſubdiaconatus ordinem ante vigeſimumſecũdum annum, ad diaconatum ante vigeſimumtertium, ad preſbyteratum ante vigeſimumquintum ætatis ſuæ promouendum eſſe.

5. Poterant ædificare loca, ſeu Conuentus vbique abſque aliqua licentia, etiam Ordinario, aut alio Prælato Eccleſiaſtico contradicente: per Concilium tamen decretum fuit, *ſeſſ. vlt. de regularibus. cap.* 3. ne de cætero ſimilia loca Mendicantes erigere audeant ſine Epiſcopi (in cuius diœceſi conſtruenda ſunt) licentia priùs obtenta.

6. Promoueri poterant olim in ſuis domibus ad ſacros ordines à quocumque Antiſtite non ſchiſmatico, ſine vlla examinatione: modò ex Concilio, *ſeſſ.* 23. *cap.* 12. nullus etiam ex Mendicantibus poteſt promoueri, niſi ab Ordinario, ſeu ſaltem de licentia eius, vt ibidem, &

& in ſua diœceſi. Ille alius Epiſcopus ipſos ſic ordinet.

7. Auguſtinianenſes, & cæteri, per communicationem priuilegiorum ſuos Nouitios, vt Profeſſos, ſaltem tacitè habebant ex ſola ſuſceptione ordinum ſacrorum in ſuo nouitiatu: modò per Concilium nequaquam, & talis tacita profeſſio vt nulla eſt iudicanda.

8. Poterant anteà Nouitij Mendicantium ordinari ſine examine Epiſcopi, eodem die duos ſacros ordines ſumere, ſeu extra tempora, etiam ante ætatem: modò ex Concilio non, ſed ſolùm iuxta formam præſcriptam, *ſeſſ. 23. cap. 12. & 13. de reformatione.*

9. Poterant olim in Eccleſiis ſuis prædicare ſine benedictione Ordinarij: modò ex Concilio illam tenentur ſimiliter petere ante omnem prædicationem.

10. Olim niſi ad nonnullas, & paucas proceſſiones cogi poterant Mendicantes, & Regulares: modò ad omnes publicas cogi poſſunt, ex Concilio *ſeſſ. vlt. de regularibus. cap.* 13. aliàs puniri poſſunt ab Ordinario per cenſuras, & pœnas arbitrarias.

11. Vt Nouitij profeſſio ante ætatem, hoc eſt, ante ſexdecim annos, nulla eſt,

ex Concilio: ſic & ipſa facta ante annum nominatum completum, quamquam in contrarium Mendicantes priuilegia contraria ad id haberent, *ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de regularibus*. Et ſic de multis aliis ſimilibus.

Poterant Prælati ipſi olim conferre, 12. nempe Abbates, alienis ordines minores: modò abrogatum eſt tale priuilegium per Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23 *cap.* 8. *&* 10. vt refert Nauarrus *tit. de priuilegiis*, *num.* 4. *conſil.* 13. Immò ſimpliciter non poſſunt, ex eodem decreto, regularibus ſibi non ſubditis dimiſſorias literas dare, nec etiam primam tonſuram *De Graff.* 1. *part. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 142.

Conſilium breue, & expeditiſſimum Mendicantibus, & cæteris Religioſis, ad confirmationem ſuorum priuilegiorum corroborandam.

COllector priuilegiorum *in Compendio*, *tit. Abſolutio ordinaria quoad Fratres.* præuiſa iam deſcripta, & varia

varia priuilegiorum ſuorum derogatione, requirit, & exoptat, ſeu conſulit, vt Reuerendus Pater Generalis eorum prouideat, vel faciat ipſe cum aliis Generalibus aliorum ordinum, vt impetretur à ſummo Pontifice, quòd ponatur ſemper in Bulla Cœnæ Domini, vbi derogantur priuilegia, expreſſa exceptio Religioſorum quoad Fratres ſuos, vel præcipiat, vt quolibet anno Procurator ordinis, ſeu Commiſſarius curiæ, tranſacta die Iouis ſancti, poſt promulgationem cenſurarum, ſeu Bullæ Cœnæ Domini, eas continentes, obtineat à Sede Apoſtolica auctoritatem abſoluendi ſuos omnes Fratres, & omnes alias perſonas, ſuper quas Prælati eorum habent auctoritatem. Poteſt addi, quod alibi etiam aſſignatur, alia via confirmationis ipſorum priuilegiorum obtinendæ conuenientiſſima, nempe impetrare à ſummo Pontifice ipſam confirmationem, ſemel pro ſemper, vita illius comite.

CAPVT VII.

De vſu & poteſtate Indulgentiarum ad impetrandum abſolutionis beneficium.

ETsi indulgentia propriè & 1.
per ſe ſit ſolùm abſolutio ſeu relaxatio pœnæ temporariæ debitæ ratione peccati iam remiſſi, tamen ſaltem impropriè & per accidẽs dicitur abſolutio à culpa, cùm ſcilicet requiratur in ſuſcipiente indulgentiam, ſtatus gratiæ, qui propriè acquiritur per præuiam confeſſionem Sacramentalem, per quam peccatum remittitur, & gratia confertur. Hinc ſæpè dicitur indulgentia à culpa, & à pœna: à culpa impropriè (vt dictum eſt) beneficio confeſſionis: à pœna propriè & ex natura ſua; ſícque de indulgentia hîc permiſcuè agitur, & minùs diſtinctè. *Syluester de indulg.* §. 24. *Toletus lib.* 6. *cap.* 22. & 24. *Nauarrus de Iubilæo, notabili* 1.

Cùm dicitur per indulgentiam poſſe 2.
eligi quemuis Confeſſarium, modò & poſt Concilij Decretum, *ſeſſ.* 23. *cap.* 15. non

non quiuis eligendus eſt, ſed qui iam fuerit approbatus ab Ordinario. *Viuald. de confeſſione, num.* 26.

3. Confeſſarius virtute alicuius Bullæ electus etiam à cẽſuris extra Confeſſionis ſacramentum, abſoluere non poteſt. *Nauarrus tit. de pœnit. & remiſſ. conſil.* 28. *num.* 19.

4. Etſi virtute Iubilæi, ſeu alterius indulgentiæ plenariæ tota pœna remittatur, tamen Confeſſarius adhuc aliquam debet imponere pœnitentiam ex conſuetudine. *Tolet. lib.* 3. *cap.* 11.

5. Sæpe per Bullam indulgẽtiarum conceditur poteſtas abſolutionis ſuper omnes caſus ſummo Pontifici reſeruatos, & tunc (niſi aliud expreſsè dicatur) non poteſt dari abſolutio à caſibus contentis in Bulla Cœnæ Domini. Et cùm in Bulla de ipſis caſibus etiam aſſeueratur in genere, non poteſt dari abſolutio de hęreſi, ad id enim requiritur ſpecialis de ea mentio: & cùm ipſa mentio exprimitur de abſolutione danda ab hæreſi (vt factum fuerat per Sixtum V. anno 1589.) non poteſt tunc abſolui hæreticus à iudice condẽnatus & denuntiatus: & cùm datur facultas ipſum aut alterum hæreticum abſoluendi, non eſt abſoluendus

niſi

niſi forma communiter in iure expreſſa, quòd nempè ipſe apertè omnes errores deteſtetur, & promittat in poſterũ ſanctæ Eccleſiæ mandatis ſe obtemperaturum: & ſi quæ ſit ratio ſatisfactionis, cautionem ſaltem iuratoriam de ea agẽda præbeat, ita vt Confeſſarius etiã admiſſus, qui aliter præſumeret abſoluere, incurreret ſentẽtiam excommunicationis Papalis ex §. Bullæ Cœnæ Domini. Cæterùm, earum excommunicatio, vt ſuprà monſtratum eſt cap. 2. Papæ non eſt reſeruata, *in deciſ. aureis 1. parte, cap. 13. num. 33. Viuald. de Abſolutione, numero 16. Philiarchus 3. part. lib. 4. cap. 26. Nauarrus cap. 27. num. 272.*

Cùm per indulgentias Iubilæi, ſeu alterius huiuſmodi datur poteſtas abſolutionis obtinendæ ab omnibus caſibus & cenſuris, & pœnitens aliquis dum confiteretur Confeſſario ad id approbato ſua peccata, non memor fuerit excommunicationis qua irretitus erat, ſi poſteà & longo tempore (iam habita abſolutione abſoluta virtute illius Bullæ de omnibus citra vllius exceptionem) & trãſacto Iubilæo cognouerit ſe excommunicatum tũc fuiſſe; ſufficit vt ipſe, quàm primùm poterit, cuiuis Confeſſario approbato 6.

probato peccatum confiteatur, propter quod talem incurrerat excommunicationem, ſeu cenſuram, & nequaquam teneatur adire ſuperiorem pro impetrãda abſolutione iam dictæ cenſuræ, cùm ab illa tempore illius iubilæi, ſeu indulgentiæ, fuerat abſolutus à Confeſſario, cui fuerat confeſſus, cùm vtriuſque intentio ſaltem virtualis interceſſerit Cõfeſſarij,& abſolueret ab omni cenſura in quantum poſſet, pœnitentis vt abſolueretur ſi aliqua excommunicatione vel ſimili cenſura teneretur. *Nauar. in Comment. ſuper caput* 1. §. *cantus de pœnitentia, diſtinct.* 5 *.num.* 32 *.& in Manuali, cap.* 26. *num.* 13. *Toletus lib.* 6. *cap.* 27. *de Graff. in deciſ. aur.* 1 *.parte lib.* 4 *.cap.* 15 *.num.* 3 *.& cap.* 52 *.num.* 5.

7. Philiarchus de officio Sacerdotis, 1. *p.lib.* 3 *.cap.* 28. in concluſionem ſuprà dictam ait,idem non aſſeuerandum eſſe de diſpenſatione ſeu commutatione votorum, etſi per Iubilæum,ſeu aliam indulgentiam ab eis, Confeſſarius potuiſſet diſpenſare, ſeu commutare, quia tranſacto Iubilæo illo ſpirat etiam illa facultas anteà conceſſa, & quòd aliud eſt abſoluere de oblitis, & aliud diſpenſare in votis.

Cùm

Cùm per indulgentiam datur facultas abſoluendi à peccato contrario ex horis Canonicis malè recitatis ſeu prætermiſſis, per hoc tamen non datur facultas abſoluendi à reſtitutione fructuũ. *de Graff. in deciſ. aur.* 1.*p. lib.* 4.*cap.* 16. *n.* 43. Eſt Nauarrus, etſi obiter de horis canonicis, *cap.* 21.*num.* 45. Notandùm eſt intereà ex ipſo Nauarro, tit. de ſententia excommunicationis *conſil.* 27.*nu.* 2. quòd Beneficiarius abſolutus non tenetur reſtituere fructus beneficij in excommunicatione occulta perceptos, qui alij ſunt à diſtributionibus quotidianis. 8.

Quandoque per Iubilæum, ſeu ſimilem indulgentiam, datur facultas commutandi vota, & tunc commutatio fieri debet in votum nimis valens, & non neceſſario in æquiualens, ídque beneficio talis priuilegij, quòd alioquin nihil operaretur. *Viuald.* 3.*p.* (*and. aurei, ſeu in ſupplemento, cap.* 14.*num.* 20. Cùm autem votum perſonale eſt, & alicuius longæ peregrinationis, ſi fiat commutatio voti, tunc habenda eſt ratio expenſarum, quæ fiendæ erant eundo ad talem locũ pium, non autem neceſſariò quæ fieri poterant redeundo, & huiuſmodi expenſæ pro poſſibili mittendæ ſunt ad talem locum 9.

pium voto deſtinatum. *Henric. Henriq. lib.7.cap.30.num.5.* tum etiam notandum cùm virtute Iubilæi, ſeu indulgentiæ, detur facultas vota commutandi, perinde non dari facultatem relaxandi pœnas incurſas. *Nauarr. tit. de voto, conſil.35. num.10. de Graff.1.p.lib.2.cap.28.num.3.*

10. Etſi per Iubilæas, & ſimiles indulgétias, detur facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris & pœnis, non tamen hinc colligitur facultas abſoluendi ab irregularitate, etiamſi illa pœna ſit Eccleſiaſtica, niſi expreſsè mentio de illa fiat. *Nauarr. cap.27. num.250. & Vinald.3. parte de diſpenſatione quoad Fratres, num.331.* Nec etiam cùm datur per Iubilæum poteſtas abſoluendi à cenſuris, poteſt dari abſolutio à ſuſpenſione etiamſi cenſura ſit, propriè intelligetur de excommunicatione & interdicto, quia ipſa poſſunt propriè impedire effectum iudulgentiæ, ſcilicet abſolutionem ſacramentalem, & communionem, ſuſpenſio verò nullo modo: poteſt enim ſuſpenſus in officio conſequi abſolutionem illam communicare, indulgentiam obtinere, non autem excommunicatus, & interdictus. *Vinaldus 2. parte, titulo de ſuſpenſione, numero* 130.

Cùm

Cùm per Bullam indulgentiarũ tolli- 11.
tur cenſura Papalis, non tollitur neceſſariò cenſura Epiſcopalis, quam ſcilicet Epiſcopus ſuper eundem caſum conſtituiſſet, & ſibi reſeruaſſet, idq; poſt Concilium. *de Graff.* 1. *parte, lib.* 4. *cap.* 15. *num.* 28. *Nauarr. cap.* 27. *num.* 255. etſi ex vſu antiquo & conſuetudine inueterata legatur in multis Authoribus, tunc etiam tolli excommunicationem Epiſcopo reſeruatam, cùm per huiuſmodi Bullam excommunicatio tollitur Papæ reſeruata, ſuper eundem caſum poſita. *Toletus lib.* 3. *cap.* 14.

Si virtute Iubilæi, ſeu alterius priui- 12.
legij datur facultas abſoluendi, ſeu diſpenſandi ab omni irregularitate (vt anno 1566. Pius V. conceſſerat) non intelligitur de irregularitate ex bigamia, & ex homicidio voluntario proueniente. *Viuald.* 1. *parte, tit. de Diſpenſatione quoad Fratres, num.* 332.

Datur ſæpè per Bullam, facultas eli- 13.
gendi Confeſſarium, modò ſit approbatus ab Epiſcopo, tunc non neceſſariò requiritur, vt approbatio illa fiat ab Epiſcopo illius loci: ſufficit enim vt ab vno Epiſcopo approbatus, & extra diœceſim illam inſtante tempore indulgētię

poſſit

poſſit virtute Bullæ à contentis abſoluere. *Henric. Henriq. lib.3.cap.6.num.7.*

14. Abſolutus in vna infirmitate pro articulo mortis habita per aliquam Bullam id concedentem, ſi ille conualeſcit, non poteſt iterum in ſimili mortis periculo præſumpto gaudere tali priuilegio, niſi id in Bulla exprimatur. *Nauarr. cap. 26.num.31.*

15. Etſi abſolutus in tali articulo mortis etiam à caſibus reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini, ſi conualuerit, tenetur cõmuni iure ſe ſuperiori præſentare, ſi caſus à quibus fuerat abſolutus annexam habebant excommunicationem, vt ſunt omnes caſus Papales. *Nauarr. cap.26.nu.* 27. tamen ſi tunc fuerit abſolutus virtute alicuius indulgentiæ concedentis facultatem tunc abſoluendi ſemel in vita & in articulo mortis ab omnibus caſibus reſeruatis, tunc conualeſcens non tenetur ſuperiorem adire. *Vinald. de abſolut.num.69.*

16. Cùm dicitur virtute alicuius indulgentiæ, vt Cruciatæ, & ſimilis, poſſe pœnitẽtem abſolui, nõ ſolùm à quolibet Sacerdote nõ præciſo, ſed etiã à quouis alio Clerico tonſurato hoc intelligendum eſt, non quantum ad culpam, ſed quoad cenſuras,

cenſuras, aliáſve pœnas temporales debitas ratione peccati iam remiſſi. *Viualdus in explicatione Bullæ Cœnæ Domini, num. 297. Henricus Henriq. in Theologia morali, libro 13. cap. 27. numero 4. D. Thomas in 4. diſtinct. 28. Nauarrus capite 27. num. 41.*

Si pœnitens infirmus in articulo mortis iam vſum rationis, & linguæ amiſerit, licet ſacramentaliter tunc à peccatis non poſſit abſolui, tamen virtute indulgentiarum, ſeu ſimilis indulti & confeſſionalis, poteſt abſolui à pœna temporali debita peccatis iam remiſſis. *Nauárr. cap. 27. num. 269.* 17.

Quærat diligenter Confeſſarius, an pœnitens ſiue ſanus ſiue infirmus, aliquot confeſſionalia, ſeu gratias indulgentiarum habeat, ad eligendum Confeſſorem, qui eum à caſibus etiam reſeruatis virtute Bullæ poſſit abſoluere, & tunc confeſtim abſoluat vt poteſt. *Nauarr. cap. 26. nu. 30.* Sin autem nulla alia talia confeſſionalia habeat, & per tempus liceat, diligenter pœnitenti perſuadeat, talia ſibi acquirere, vt fieri poterit, & curare ſeſe adſcribi variis confraternitatibus id priuilegij habentibus, vt ſunt non ſolùm Confraternitates ſan- 18.

ctiſſimæ Trinitatis, ſancti Auguſtini corrigiæ, cruciatæ Hiſpaniæ, ſancti Iacobi incurabilium Romæ. *Viuald. de abſolutione, num.* 37. ſed etiam confraternitas Corporis Chriſti, vt idem Viuald. in explicatione Bullæ Cœnæ Domini, *numero* 134. quia beneficio indulgentiæ ipſis Confraternitatibus conceſſæ, poteſt dari abſolutio ab omnibus caſibus reſeruatis ſummo Pontifici, exceptis his qui in Bulla Cœnæ ſunt contenti, & varia vice per huiuſmodi confeſſionalia, eum Confeſſarius abſoluat, ſaltem in prima viſitatione morbo ingraueſcente, & tandem in vero aut præſumpto mortis articulo: ingeminata enim tali abſolutione, ſæpè pœnitens ita à debito pœnæ temporariæ liberatus euadit, vt ſi diſcedat ex hoc ſæculo in eodem ſtatu exiſtens, pœnas Purgatorij euadet, & paradiſum attinget. *Silueſt. de indulg.* §. 33. *S. Anth. prima parte, titulo* 10. *de indulg. capite* 3.

19. Cùm quis in articulo mortis eſt, & tenetur pœnitentia ante ſibi iniuncta, poterit illam alteri committere, vt ea ratione ſui ille abſoluat, modò ipſe qui talem pœnitentiam ſuſceperit agendam, ſit in gratia. *Viuald. de ſatisfactione, nu.* 12.

Indul

Indulgentia morte concedentis non perit, nec etiam deſinit reuocata, niſi poſt iuridicam reuocationis denuntiationem, quæ communiter in Eccleſia Cathedrali fieri debet, vt promulgatio eiuſdem ibidem creditur facta eſſe. *Diuus Thomas in 4.diſtinct. 20. quaſt. 1. articulo 3. Silueſt. de indulg. §. 16. 17. Nauarrus de Iubilæo, notabili 31. numero 25. de Graff. prima parte, libro 4. cap.4. num.34.* 20.

Cæterùm quantumuis proſint indulgentiæ non ſolùm benè habentibus, infirmis, morientibus, ſed etiam mortuis iam, ita vt poſt mortem etiam illi communicari poſſint; nihilominus ſuperſtites, parentes, & amici non debent eos priuare ſuffragiis, quibus Eccleſia ſolet mortuos ſubleuare: primò quia poſſibile eſt quòd interuenerit aliquis defectus propter quem non ſit indulgentiam conſequutus: ſecundò,quia licèt iam ſit in cœlum receptus, conſequitur tamen ex ſuffragiis pro ſe factis nouum gaudium accidentale, tam ratione honoris qui in his Deo exhibetur, qua ratione vtilitatis ſpiritalis, quam lucrantur facientes, & animæ in Purgatorio exiſtentes. Collector in 21.

Compendio priuilegiorum Fratrum Minorum, titulo Indulgentia, Notabili tertio.

12. Poſtremò & vltimò forma poterit hîc conſignari, abſoluendi pœnitentem virtute indulgentiæ, quæ abſolutio communiter triplex eſt, ab excommunicatione, ſeu alia cenſura, à peccatis & pœna debita, ſparſim de ipſa forma & varia dicuntur à Doctoribus: ea autem ſimul collecta in hanc formam ſubſequentem redacta ſunt. *Nauarrus capite 26. numero 30. Collector in Compendio, tit. Abſolutio ordinaria quoad Fratres. de Graff. prima parte, lib. 4. cap. 15. num. 58. Viualdus de abſolutione, num. 73. ea Nauarrus de Iubilæo, Notabili 30. à numero 8. ea autem eſt.*

Miſereatur tui omnipotens Deus, &c. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, per ſuam, &c.

Et ego authoritate illius, & ſedis Apoſtolicæ mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa, vt poſſum, & indiges, abſoluo te in primis à vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti (ſi fuerit perſona Eccleſiaſtica, ſin autem ſæcularis ſolùm dicetur) *Abſoluo te à vinculo excõmuni*

municationis, ſi quod incurriſti: deinde abſoluo te ab omnibus peccatis tuis; poſtremò virtute ipſius indulti & gratiæ remitto tibi pœnam peccato debitam, concedóque tibi qualem modò poſſum indulgentiam, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, Amen.

In quorum faciliorem intelligentiam primò notabitur ex Nauarro, *tit. de ſententia excommunnicationis*, *conſilio* 26. vt expedit excommunicato fidem abſolutionis obtentæ in foro conſcientiæ habere, & quomodo illam poſſit exigere. Secundò communiter & percinctè hanc formam abſolutionis ſcriptis dari, nempe, *N. confeſſus eſt mihi infráſcripto Confeſſario in tali Eccleſia deſignato, & fuit abſolutus ſacramentaliter decimo menſis, anno*, & ſimiliter, *N. Confeſſarius.* Tertiò, abſolutio ſacramentalis (vt dictum eſt) conſtat eſſentialiter illis verbis, *Abſoluo te à peccatis tuis*, &c. Abſolutio verò excommunicationis, voti, iuramenti, & ſi incerta ſit, tamen in ea addi debet hæc clauſula, *Authoritate Domini noſtri Papæ*, ſeu Epiſcopi, *cuius vicem hîc gerimus*, & ſimilia. Ratio autem huius diſcriminis eſt, quòd prima abſolutio meri eſt ordinis; ſecunda verò

puræ iuriſdictionis. *Nauarrus in Commentario ſuper caput Qui vult. de pœnit. diſtinct.6.num.22.*

CAPVT VIII.

Quomodo ſe gerere debeat Confeſſarius erga pœnitentes in genere: poſtremò vt ſe gerere debeat ſpecialiter erga deuotas filias ſpirituales, vt ſe gerere debeat Confeſſarius erga pœnitentem ante confeſſionem.

Concil. Trident. ſeſſione 4. cap. 5. Nauarrus cap. 10.à num.1.
Toletus libro 3. cap. 17. Catechiſmus Romanus ex Decreto Concilij Tridentini, vbi de ſacramento pœnitentiæ, num. 51.

TRES præcipuè in Confeſſario requiruntur qualitates; poteſtas nempe ordinis iuridica, ſcientia, bonitas. Ratione ergo bonitatis requiritur in primis, vt ipſe Confeſſarius ſit in bono ſtatu conſcientiæ, hoc eſt ſine peccato mortali, cùm ſacramentum pœnitentiæ ſit adminiſtratu-

rus ſaltem probabiliter, vt habetur *capite* 1. *§. caueat, & §. labores, de pœnit. diſtinctione* 6. Nam ſi extra ſtatum gratiæ iſtud aut alterum ſcienter adminiſtraret ſacramentum, proculdubiò lethalis culpæ reatum incurreret. Quare primò ſeipſum colligat, & ad Deum recurrat, & verſiculos deuotè recitet deſumptos è Pſalmo 50. *Cor mundum crea in me Deus*, &c. Secundò ſe affabilẽ, ſuauem reddat in pœnitentẽ. Tertiò eũ diſponat ad actus exteriores cõfeſſioni cõuenientes; qui ſunt, genua flectere, ſigno Crucis ſe præmunire; faciem ad latus alterum, & ſi fieri poteſt ſiniſtrum vertere. Quartò ſi eum non ſatis agnouit, de eius ſtatu & conditione interroget, vt quod expedit poſſit in illum obſeruare. Quintò interroget eum an aliquo detineatur impedimento, cuius gratia neutiquam ipſum abſoluere debeat non reſipiſcentem; quale eſt habere concubinam, quam nolit è domo eiicere; quale eſt eſſe vſurarium, & nolit deſiſtere; ſi odium habet capitale contra aliquem quod nolit animo expellere, idq́ue ne poſteà pœnitens conqueratur de Confeſſario, quòd voluerit primùm peccata eius ſcire, & poſteà noluerit eũ abſolue-

te. Sextò eodem iure quærat ab eo, an aliquo excommunicationis maioris vinculo detineatur, & videat an poterit eũ abſoluere: nã ſi abſolutio ſuperiori fuerit reſeruata, conſultè deſiſtet ab audiẽda confeſſione de peccatis, donec pœnitens ſit abſolutus ab excommunicatione per ſuperiorem illum, vel ab illo obtenta ſit licentia, poſſit abſolui ab ipſo Confeſſario. Septimò quærat ab eo, ſi quæ ſit cauſa in eo repetendi cõfeſſiones iam peractas, cùm ſic nullæ & inualidæ fuerint aliqua ex parte. Octauò ſi pœnitentiam anteà ſibi iniunctam egerit, nõ ſolùm ſatisfactoriam, ſed maximè omniũ reſtitutoriam. Nonò ſi examen conſciẽtiæ debitum fecerit ad recolenda peccata poſt vltimam confeſſionem commiſſa: nam ſi inueniat imparatum pœnitentem, etiam defectu examinis ſuprà dicti, & cõfeſſio differri poteſt citra periculũ animæ, remittẽdus eſt ad tempus quo magis paratus redeat: ita pariter cenſendum eſt, ſi eũ non cõtritum inuenis, eũ intereà diſponendo ad id defectus reparandi, nõnulla pia exhortatione, exhortando ad quædã ſpiritualia exercitia, quibus gratiam Dei poſſit obtinere, ad confeſſionem debitè conficiendam. Decimò & poſtremò

quærat

quærat ab eo tempus vltimæ confeſſionis, & peccata, quæ ab eo tempore commiſerit, quorum memor erit, integrè confiteatur, nullum ſcienter retinendo.

Vt ſe gerat Confeſſarius in audienda confeßione.

Concilium Trident. vbi ſuprà, & cap. 5. à numero 1. Nauarr. cap. 10. à num. 5. Tolet. lib. 3. cap. 18.

PRimò diſponat pœnitẽtem, vt ſuam confeſſionem generalem dicat, *Confiteor Deo*, vſque ad clauſulã, *verbo, & opere*, incluſiuè. Secundò, vt ſuam cõfeſſionem particularem faciat, & proferat tunc peccata ſua; ita vt ſi forſan nullum vellet confiteri, & ſolùm de his à Confeſſario interrogari, compellat illum, vt ſeipſum accuſet de his, quorum meminerit, cùm aliter nullius momenti eſſet confeſſio, & perperam ſpectaretur abſolutio: eum tamen ad id ſic excitabit, promittendo ſe eum poſteà interrogaturum de his, quæ cognouerit confeſſioni præmiſſæ deeſſe. Tertiò, quoquo ordine pœnitens ſua dicat peccata, Confeſſarius eum non interrumpat, immò attentè audiat, quaſi

ad ſingula ſuo loco reſponſurus. Quartò, cùm graue aliquod, aut turpe peccatum ab ipſo audierit, nulla ſigna admirationis, abominationis, aut pauoris oſtendat, veluti ſpuendo, vel ſe cruce ſignando, vel ſe commouendo; quin potiùs ac ſi nihil audiret ſe continebit, attentè, & patienter vſque ad finem confeſſionis diſſimulando, & tunc condignam peccatis pœnitentiam tandem iniunget. Quintò, ſi viderit pœnitentem ſeipſum excuſantem, dicendo: *Ego non occido, alienum non rapio, nulli malum volo*, & ſimilia, vel dubitanter, dicendo: *Ego confiteor, & veniam peto, ſi rapui, ſi fornicatus fui*: tunc enim admoneat, vt aſſertiuè loquatur, & ſeipſum, prout illius dictat conſcientia, accuſet, & quòd ibi non eſt locus excuſationis, ſed accuſationis. Sextò, minúſque toleret Confeſſarius pœnitentem ſe accuſantem ſolùm de omnibus, & in genere, etiamſi ſæpiſſimè in omnibus non peccauerit, dicendo ſe omnia peccata commiſiſſe, quæ fieri poſſunt, ſe occidiſſe, fornicatum fuiſſe, furtum feciſſe, &c. de quibus etiam Confeſſarius interrogaret: & licèt deliquerit in ipſis, non tamen ſufficit in hoc loco generalis

con

confeſſio, ſed requiritur ſpecifica, & magis diſtincta, ita vt ſæpe ſit ad particularia deſcendendum, niſi in peccato carnis, & luxuriæ, in quo peccato audiendo non nimis immorandum eſt, ſed ſufficit ſpeciem peccati nouiſſe. Septimò, interrogandus eſt pœnitens non ſolùm de ſpecie peccati, ſed etiam de numero peccatorum, de circumſtantiis, quæ ſaltem ſpeciem peccati mutant, ídque neceſſariò, quamquam ſæpe interrogatio etiam fieri debeat de circumſtantiis, quæ ſcilicet adaugent, & aggrauant peccatum, vel imminuunt. Octauò, inter confitendum ſi pœnitens perſonam aliquam voluerit nominare, quæ hoc peccato diffamaretur, præueniat diligenter Confeſſarius, ne talis perſona nominetur, & ſufficiet (tacita illa perſona) reliquum confeſſionis audire. Nonò, & cùm pœnitens tunc deſierit ſe accuſare, & nihil vltrà proferre, interrogabit illum Confeſſarius quantum ad ſupradicta, & ſimilia, de actibus non ſolùm exterioribus, ſed etiam internis, vti ſi mente, & corde, etiamſi nec verbo, nec opere, de religione malè ſenſerit, vxorem proximi, vel bona illius concupierit. Decimò,

pœnitentem interrogabit de his, quæ ſibi videntur defuiſſe præcedenti confeſſioni, ídque ſolùm quantum ad ea peccata, qualia homines, & perſonæ illius ſtatus ſolent committere, & non aliter. Poſtremò, (quod caput totius rei eſt) interrogationes ipſæ fient diſcurrendo ſuper decem Decalogi præcepta, Eccleſiæ mandata, ſeptem peccata mortalia, quoad ſenſus exteriores, opera miſericordiæ: & hæc quantum ad eos, qui rudes, & ſatis ignari ſunt, quíque rariſſimè ſolent confiteri. *Tolet. lib. 3. cap. 17. & lib. 4. cap. 2.* immò ſæpe ipſi interrogandi ſunt de peccato ignorantiæ, an ſciant non ſolùm ſupradicta Legis, & Eccleſiæ præcepta, ſed etiam Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, cùm ſub pœna peccati mortalis quiſque fidelis ſaltem implicitè illa ſcire teneatur. Quibus, & ſimilibus expletis, pœnitens reſumet reſiduam confeſſionis partem, dicendo: *Et de his omnibus dico meam culpam, meam maximam culpam: ideò precor beatam Mariam ſemper virginem*, & reliqua.

Qua

Quæ incumbunt Confeſſario poſt confeßionem.

Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 8.
Nauarr. cap. 26. à numero 1.
Toletus lib. 3. cap. 19.
Syluester verbo Confeſſor. 4.

PRimò ex præcedenti examine obſeruet quàm diligenter, ſi pœnitens de peccatis confeſſis (vt dictum eſt) ſit verè contritus, an verò defectu contritionis nolit deſiſtere non ſolùm à peccato, ſed etiam ab occaſione peccati propinqua: vt cùm quis concubinam nolit dimittere, eo enim indignus eſt abſolutione. Secundò, ſi diſpoſitum inuenerit ad pœnitentiam, eum admoneat de ſuis peccatis veniam petere, cum propoſito quidem ſe non taliter peccaturum, mediante Dei gratia; caueat autem, ne ab eo extorqueat iuramentum ad id præſtandum, quod tamen exigeri debet, & erogari, quantum ad materiam excommunicationis, & reſtitutionis: vt ſcilicet ſic promittat ſe Eccleſiæ mandatis obtemperaturum, & perſonæ læſæ ſatisfacturum. Tertiò, ſi inter ea, quæ audita ſunt in confeßione, caſus aliqui

aliqui interuenerint, diſtinguendum eſt, quòd ſcilicet ex caſibus alij nudi caſus ſunt, & ſumuntur tunc pro peccatis reſeruatis: alij mixti, hoc eſt, non ſolùm pro peccatis, ſed etiam pro excommunicationibus eis annexis. Quoad primum poterit Confeſſarius abſoluere pœnitentem à peccatis, de quibus poteſt. Quoad verò reliqua alteri reſeruata, relegabit eum ad Superiorem, cui reſeruantur. Quantum autem ad ſecundum, caueat diligenter, ne abſolutionem pœnitenti det de peccatis, niſi priùs fuerit abſolutus ab excommunicatione, & tunc eum docebit, quomodo debeat ad Superiorem recurrere, vt ab ea priùs abſoluatur, vel impetret ab ipſo Superiore licentiam eligendi Confeſſarium approbatum, vt eum abſoluat: ſin minùs ipſemet Confeſſarius procurabit licentiam obtinere, vt beneficium abſolutionis ei impendat. Quartò, pœnitentiam imponat, priuſquàm abſoluat, & talem, qualem viderit congruere peccatorum grauitati, habita intereà ratione perſonæ, qualitatis, & facultatis eius, & illum ſedulò docebit, quanta eſſet ei pœnitentia luenda, ſi (vt antiquitùs) iuxta canones

pœni

pœnitentiales ei iniungeretur : penes enim illos pro peccato mortali,& enormi, pœnitentia ſaltem ſeptem annorum tunc erat agenda, & (vt fieri poterit) præſcribetur ipſa pœnitentia breuis, ſeu breui tempore complenda, vt pœnitens in ſtatu gratiæ eam perficiat. Quintò, ſi pœnitens nullo modo pœnitentiam velit acceptare, non eſt abſoluendus, tamquam non verè contritus. Si autem leuem pœnitentiam ſibi eligat,& renuat grauiorem, quàm Confeſſarius ei præſcribit, tunc poterit eum abſoluere, admonendo intereà, ſi condignam pœnitentiam hîc non agat, reſiduum pœnæ illi in Purgatorio eſſe reſeruatum, & luendum. Poſtremò, ei iam communicata abſolutione ſacramentali penes formam verborum communem, & conſuetam, eum quàm diligenter exhortetur, ſacris exercitiis ſeſe occupet, & maximè omnium, quantum ad frequentationem ipſius confeſſionis ſacramentalis, & communionem ſacræ Euchariſtiæ, vt ſic gratiam, quam tunc obtinuit, conſeruet, & in ea perſeueret.

Vt

Vt ſe gerere debet Confeſſarius ſpecialiter erga filias ſpirituales.

Coſma Philiarchus de officio Sacerdotis, 2. part. lib. 2. cap. 31.

CApue, & penè totum negotium huiuſce rei conſiſtit in eo, vt Confeſſarius ne nimiam familiaritatem cum ipſis deuotulis ineat, ad quam euitandam curet in primis, ne mulieres ipſæ, quæ confeſſiones frequentant, diu in confeſſionibus detineantur, ſed ſolùm quantum ad confeſſionem requiritur, & illas doceat, & admoneat dicere non quæ ſolitò memoriæ mandata repetere ſolent, ſed ea ſolùm peccata, quæ ab vltima confeſſione fecerunt, relictis circumſtantiis non neceſſariis: eſt enim ſcandalum videre, quòd mulieres, quæ ferè quotidie confitentur, per integram ferè horam ſemper maneant ad pedes Confeſſoris, cùm confeſſio debeat eſſe pura, & ſimplex: & non ſit veriſimilis, quòd illa mulier, quæ quotidie, vel ſingulis diebus feſtis confitetur, tanta commiſerit, vt ſemper ita immorari debeat, quod ſufficeret ad integram, & generalem totius vitæ confeſ-

confeſſionem faciendam. Congruum quidem eſt, quòd etiam conſiliis, & hortationibus adiuuentur, id tamen depromendum non eſt ex abuſu, ſed vſu confeſſionis: & huiuſmodi mulieres in eo plus æquò importuniores non ſemper ea leuitate ſunt excipiendæ, ſed diurnuſculis admonitionibus informandæ. Euitandam autem eſſe nimiam illam familiaritatem, & quam ſuſpectum ſit, & periculoſum tale contubernium ex profeſſo docet diuus Thomas, *Opuſc.64.* relatus à Coſmo Philiar. loco ſuprà dicto; idque probat primò rationibus: *nouerint* (inquit ille) *ſpirituales, quòd ſcilicet carnalis affectio ſit omnibus periculoſa, & damnoſa, eis tamen magis pernicioſa eſt, quando conuerſantur cum perſona quæ ſpiritualis videtur: nam quamuis eorum principium videatur eſſe purum, frequens tamen familiaritas domeſticum eſt periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum, bono colore depictum: quæ quidem familiaritas quantò plus creſcit, tantò plus infirmatur principale motiuum, & vtriuſque puritas maculatur, sicq; ſpiritualis deuotio paulatim conuertitur in corporalem & carnalem, & ipſorum mentes, quæ ſolebant in oratione cum Deo abſque intermedio loqui, nunc inter ſe & Deum alter*

ponit

ponit alterius corporalem effigiem; & cùm proprium errorem percipere & emendare deberent, in ipſius potius nutrimento erroris totum illud iudicant, ex maxima charitate procedere: cuius merito (puto) & ſibi inuicem mentientes referunt, quod in oratione vnus alteri præſentatur, magis eis delectabile, ac ſi pro ſe inuicem orare cogantur gratia & virtute diuina: vt ſic cenſualem ſimpliciter conſolationem affirmant eſſe ſpiritualem gratiam & diuinam. Et paulò inferius, quod ille calor ignitus, quem in oratione ſentiũt, ſit à ſagittario illatus, & non à Spiritu ſancto immiſſus, probat duplici ſigno: Primo, quia deliberant ſe tanquàm ſpiritualiter vnitos, poſſe ſecuriùs ac proliXiùs ſimul loqui, atque in hoc tempus non perdere, ſed lucrari: proinde modos inſolitos, & cautelas admirabiles, adinueniunt, quibus procurant ſimul colloqui & frequenter, ſecundum quod non niſi mora ſerotina, aut alia ineuitabilis cauſa ab inuicem diſcedere poſſunt, & tunc inuitè, & triſtes diſcedunt.

Secundo, id ipſum poſt multa probat ex Patrum teſtimoniis, ſubiungit enim ex D. Hieronymo: *Fœminam quam vides benè conuerſantem, mente dilige, non corporali frequentia: ſi mulier potuit vincere eum, qui*

qui iam erat in Paradiſo, non eſt mirum ſi eos impediat, qui nondum ad Paradiſum peruenerunt: ne in præterita caſtitate confidas, quia nec tu Samſone fortior, nec Salomone ſapiētior. Si fortè dicas, iam corpus mortuum eſt, dico tibi, quoniam diabolus viuit, cuius flatus prunas extinctas ardere facit. Ex D. Auguſtino: *Sermo breuis, & rigidus cum mulieribus eſt habendus, nec tamen quia ſanctiores fuerint, ideò minus cauendæ; quo enim ſanctiores fuerint, eo magis alliciunt, & ſub prætextu blandi ſermonis immiſcet ſe viſcus impiiſſimæ libidinis: Crede mihi, Epiſcopus ſum, Epiſcopo loquor, non mentior, &c.* Ex D. Bernardo: *Quotidie conuerſaris cum muliere, & continens vis putari? Eſto quod ſis, maculam tamen ſuſpicionis portas, ſcandalum mihi es, tolle materiam, & cauſam ſcandali, quia væ homini illi, per quem ſcandalum venit.* hæc ex Diuo Tho.

Tertiò ſeu poſtremò res propoſita poteſt illuſtrari innumeris exemplis, quorum tamē duo ſolummodo attingemus. Alterum habetur in vita ſancti Vincentij, quem mulier nobilitate generis clara, ardenter amauit, & ſingulis diebus ſub Religionis & deuotionis ſpecie frequētabat loca, in quibus eum videre aut colloqui poſſet: tandem poſt annum illa ſe

infirmam & grauibus torqueri doloribus ſimulauit, & in lecto iacente vocatur Sanctus Vincentius, qui illius confeſſionem audiat; & omnibus ex more excluſis, mulier linteum quo tegebatur amouit, & ſe totam nudam exhibuit; ſanctóque viro ſignificauit ſuæ ægritudinis cauſam, & quare illum vocari iuſſerit: Qui videns quòd admonitionibus & reprehenſionibus parum proficeret, diſceſſit. Illa indignata, voluit contra ſanctum virum clamare, & dicere quod eam opprimere voluiſſet, ſed Dei prouidentia, ſtatim cùm os aperuit, diabolus eius corpus grauiſſimè vexare cæpit, & dæmon adiuratus reſpondit ſe ab illo corpore expelli non poſſe, niſi ab eo qui in medio ignis nó eſt æſtuatus, & diſceſſit. Alterum exemplum colligitur è vita ſancti Bernardini, ſeu hiſtoria quæ de eo habetur, quod ſcilicet matrona quædam ſub ſpecie Religionis eum carnaliter amabat, & propter illum Fratribus eiuſdem Ordinis Sancti Franciſci magnum charitatis feruorem oſtendebat: & cum ille oſtiatim ex more mendicaret panem, iuſſit eum aſcendere, cui dicit, ſi noluerit ei aſſentiri, ſe clamaturam, & dicturam quod vim ei ipſe inferre voluerit. Ille

autem

autem ſe Deo commendauit, hócque ei Deus ſuggeſſit conſilium, quod ſi illa vellet, veſtibus ſe nudaret, quod ſtatim fecit,& ille accepto flagello, quod clàm ſecum portabat,eam durè cecidit,donec omnis illa tentatio euanuerit,hæc è Philiarco. Quibus addi poſſunt plura alia, vti ſunt rapaciſſimæ nonnullorum manus ad extorquenda munera, & euacuãdas potius crumenas quàm conſcientias alienas; quæ labes perditiſſimæ auaritiæ omni iure damnatur, quia iudicum corda non rarò excœcat. Sunt & mulierculárum ſæpè profuſiones, ſeu largæ ad id liberalitates,quæ vel ex furto proueniũt, quia ex alieno fiunt, vt plurimùm contigit in virginibus & vxoratis; vel ſi ex proprio vti familiare in viduis parùm ſibi & ſuis prouidis,& quia ſic prodigæ, plerumque ſubſtantiam ſuam diſſipant, miſerrimámque familiam redigunt ad inopiam. Accedunt inſuper mutuæ ſuſpectæ,& periculoſæ viſitationes,& colloquia praua (vt iam dictum eſt) quæ corrumpunt mores, incentiuáque malorum ſunt; quæ licet clandeſtinè fiant, in foro tamen circumferuntur & propalantur; vnde debiles animæ ſcandaliſantur, & ſacra profanantur myſteria:
Cæterùm

Cæterùm cùm talis irrepſerit error, computabitur (vt dicunt) artifici & non arti, tollatur abuſus, remaneat vſus, & extinguetur hæreſis; væ tamen homini illi, per quem ſcandalum venit. Tremen-
Abac. 2. dum illud Propheticum: *Lapis parietis clamabit, & lignum quod eſt inter iuncturas ædificiorum* (forſam ſacrorum) *reſpondebit, in illa nempe vltima diſtricta diſcuſſione, vbi ſcientia propria ſurget contra conſcientiam, aperientur libri, & iudicium Domini fiet.* Fœlices quidem Paſtores animarum, qui oues ſibi concreditas ſaluas & incolumes, in caulas Domini ſollicitè conducunt: infœliciſſimi verò, qui contrario tramite pergentes, intrepidè vnà cum grege, in præcipitium currunt ſic irreuocabile. En quò præualuit iniquitas, merces vitæ æternæ offertur, & præeligitur à nonnullis gehénæ æternæ pœna; Deus bonus auertat.

CAPVT

CAPVT IX.

De obligatione legis humanæ.

Nauarr. cap. 23. Manualis à numero 48. etiam in Commentario de lege pœnali, ſuper caput Paternitas. 12. q. 2. de Graff. 1. parte, lib. 2. cap. 10. Philiarcus 2. parte, lib. 3. cap. 2. Toletus de ſeptem peccatis mortalibus, à cap. 17. *qui pro cæteris in hac parte eſt ſequendus.*

Diuiſio Diſputationis propoſitæ.

INſtituta diſputatio quinque habet quæſtiones: Prima eſt, An lex humana, & potiſſimum Eccleſiaſtica, vim habeat obligandi? Secunda, An obliget ad peccatum mortale? Tertia, An obliget tum ad pœnam temporalem, tum etiam ſpiritualem & interiorem? Quarta, An pœna ipſo facto in lege poſita, obliget in conſcientia ante ſententiam? Quinta, de cauſis quibus eximitur homo ab obligatione legis.

QVÆSTIO I.

An lex humana vim habeat obligandi?

LEx humana vim obligandi habet multis adhibitis conditionibus; nimirum

nimirum modò lex iſta ſit iuſta, promulgata, recepta, non derogata per contrariam legem, ſeu conſuetudinem, nec ignorata; de quibus conditionibus diffusè dicetur in vltima quæſtione. Quare ſolummodò, & quaſi pro fundamento de prima conditione tractabitur, hoc eſt de legis Iuſtitia ſeu æquitate. Ad iuſtitiam autem legis, ſunt quatuor neceſſaria, vt tradit ſanctus Thomas, *2.p. q. 96. art.4.*
1. vnum eſt ex parte finis, debet enim inſtitui in bonum commune, ſeu vtilitatem publicam; vnde leges quæ inſtituũtur, & dantur communitatibus, in bonum vnius particularis tantùm, ſunt iniuſtæ, niſi bonum illius in totam redun-
2. det communitatem. Alterum eſt ex parte agentis, vt lex inſtituatur ab eo, qui habet ſuperioritatem & poteſtatem, & ita non excedat limites ſuæ authoritatis,
3. aliter enim efficitur lex non iuſta. Tertium, vt ſit materia bona, hoc eſt, non contineatur ſiue præcipiatur in lege, res aliqua mala, vel prohibeatur bona. Quartum eſt, vt ſit cum forma bona, id eſt, lex ſeruiat proportioni ciuium, vt non plus oneret eum, qui minus eſt onerandus, propter quod (vt alibi dicitur) leges Gabellarum, quæ extorquent tri-
butum

butum ex his quæ ciues in proprios vſus,& ſuſtentationes emunt, eſſe iniuſtas;tunc enim qui plus indiget,plus ſoluit, quod eſt iniquum. Quare Silueſter quàm diligenter relegendus eſt verbo *Lex*, vbi diffuſiſſimè hac de re tractat,& maximè §. 10. *quantum ad leges ciuiles*: ibi enim recenſet varias leges ciuiles, quæ iniuſtæ ſunt, ſicque non obligant, minúſque ſeruandæ, & §. 13. vbi etiam enumerat varias leges canonicas, ſeu Eccleſiaſticas, quæ etiam non ſunt tenendæ, minúſque ligant tranſilientes,& ipſæ leges ſumma animi dexteritate ab illo colliguntur, è textu Iuris Canonici, ex Gloſſ. & ex Doctoribus variis: licèt enim Eccleſia non poſſit errare, determinando in genere quid in moribus, & in his quæ ſunt de fide, ſic nec Papa vt Papa,tamen leges plurimæ canonicę huiuſmod nominantur ibi non ſeruandæ, quatenus per cõtrariam conſuetudinem ſunt reuocatæ, iuxta varias temporum occurrentias. Vide (vt dictum eſt)Silueſtrum referentem multa in decreto addita à Gratiano, quæ non ſunt tenenda: item varias Gloſſas in ipſo Iure Canonico non acceptandas; vti etiam variæ notantur ibi Doctorum opinio-

nes minimè ſequendæ.

SECVNDA QVÆSTIO.

An lex humana vim habeat obligandi ad P. M. in genere? in quo conueniunt Doctores.

QVANTVM ad legem humanam tam canonicam quàm ciuilem, non parua eſt difficultas ex varia & diuerſa Doctorum opinione: quare primò notanda ſunt nonnulla, in quibus Docto-
1. res conueniunt. Primum eſt Superiores tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares, poſſe obligare ſubditos ad mortale, & facere præcepta ad id obligantia; idque probatur *à Soto lib. 1. de Iuſtitia. quæſt. 6. art. 4.*
2. Secundum eſt, quando Superior intendit obligare ad mortale, tunc obligat; quando autem non intendit obligare, non obligat. Quare requiritur in hac re, vt conſtet nobis de intentione præcipientis, ſeu legis conditoris: vnde *ſanctus Thomas* 2. 2. *q.* 186. *art.* 9. dicit præcepta ſancti Dominici, non obligare ſuos ad peccatum, quia ipſemet Regu-

læ inſtitor dicit & expreſſit ſe nolle obligare ad peccatum. Tertium eſt, ſi quis 3.
ex contemptu, ſeu intentione non obediendi, vult facere aduerſus id quod ei præcipitur à Superiore, licet non præcipiatur ſub P. M. peccat mortaliter: ſicque dicendum eſt non ſolùm reſpectu cuiuſque Superioris, ſed etiam reſpectu Dei; qui enim conſilium diuinum non faceret ex contemptu, etiam peccaret mortaliter; ita habet *Caietanus* 2. 2. *q.* 104. *art.* 2. *Sylueſter verbo lex*. §. 8. *& verbo contemptus*. §. 2. Quartum, cùm aliquid 4.
præcipitur ſub pœna excommunicationis, aut alterius pœnæ, quæ homini in gratia exiſtenti non poteſt conuenire, vt ſub pœna maledictionis à Deo, & indignationis Apoſtolorum, aut alicuius ſimilis, obligat ad peccatum mortale, quamuis excommunicatio non ponatur ipſo facto, maximè cùm admonitio debita excommunicatione (ſi quæ feratur) præcedat, vt notauit Caietanus verbo *Præceptum*. Quintum, lex illa 5.
humana obligat ad mortale, cùm licèt non conſtet præcipientis intentio, tamen vſus Eccleſiæ, & Doctorum conſenſus, ſolent interpretari de tali obligatione, ad mortale; verbi gratia: Eſt

lex ieiunandi in Quadrageſima, quæ tamen non habet expreſſum an obliget ad mortale: tamen Eccleſia & Doctores de òbligatione peccati mortalis interpretantur. Sunt autem multa, in quibus Doctores diſſentiunt, quantùm ad quæſtionem propoſitam, quę ſunt etiam modò notanda; meliore tamen cum ipſorum conciliatione, & moderatione, quàm fieri poterit.

In quo diſſentiunt Doctores in hac quæſtione?

De vi legis humanæ ad obligandum in ſpecie, quoad leges Eccleſiaſticas.

QVantum ad diſtinctas legis humanæ ſpecies, Doctores non ſemper conueniunt, ita vt quantum ad leges Eccleſiaſticas *Nauarrus capite* 23. *numero* 48. *& ſequentibus*, dicit quòd quoties in lege Eccleſiaſtica ita ponitur verbum exprimens præceptum, aut prohibitionem, aut neceſſitatem, obligat communiter ad M. vt cùm dicitur: *Præcipimus,*

mus, iubemus, oportet, debet, & ſimilia. Ratio huius Doctoris eſt, quia hoc eſt iam declaratum à Papa in Clementina. *Exiui, de verborum ſignificatione.* Et cùm Legiſlator explicat intentionem ſuam, tenendum eſt (vt iam dictum) legem obligare ſecundùm intentionem talem; & contrariò quòd cùm non habetur tale verbum, ſed dicitur, *declaramus, ordinamus,* vel eſt locutio, per modum imperatiuum, id eſt, *fiat hoc, vel illud,* tunc legem non obligare ad mortale, quia expreſſa non eſt ibi declarata intentio Legiſlatoris, ídque probat ex *D. Thom.* 2.2.*quæſt.*186. *articulo* 9. quòd abſolutè non intelligendum eſt, ſed ex additione, hoc eſt, niſi ſit tunc ſermo de re graui, & alicuius momenti: ſic quidem nec Decalogi præcepta ex leuitate materiæ, non obligant niſi ad veniale, ita vt ratio obligandi etiam pendeat ex grauitate rei de qua agitur, & non ſolùm ex ſimilibus loquutionibus quibus lex vtitur.

Quoad leges ciuiles.

CIrca leges humanas, ſeu ciuiles idem Nauarrus tenet quòd nulla illarum obligat ad mortale, quamuis ſit verbum præceptiuum, niſi res quæ præcipitur ſit alio iure, nempe Diuino, vel naturali præcepta, & tunc vim obligandi potius pendere à iure præcedenti & annexo, quàm virtute legis. Ratio enim eſt, quia non conſtat, nec eſt expreſſa ibi intentio Legiſlatoris, volentis obligare ad mortale: quod tamen pariter locum habere videtur, cùm de re graui agitur, & non leui, vt ſuprà; ſicque *Soto libro* 1. *de Iuſtitia, quæſtione* 6. *articulo* 4. intelligendus eſt vbi probat leges humanas obligare ad mortale, etiam ſine illa intentionis explicatione.

Quantum ad leges pœnales, ſiue ciuiles, ſiue Eccleſiaſticas.

LEges tam ciuiles quàm Eccleſiaſticæ, vltra quòd obligent ad peccatum mortale, vel non, ſcilicet pro varietate materiæ, (vt iam dictum eſt) quan

quandoque diſcernũtur obligare etiam ad pœnam, vnde pœnales dicuntur; ídque tamen ita vt non obligent ſimul ad culpam, niſi res ipſa alias ex ſe eſſet mala abſque tali lege vt habet præfatus *Nauarrus, & Castro libro* 1. *de lege pœnali capite* 9. *Caietanus, verbo Præceptum*, §. 3. ídque etiam intelligendum eſt ſolùm, quando in lege humana ponitur grauis, & notabilis pœna, vt pœna capitis, vel amiſſio omnium bonorum, vel perpetui exilij; ſícque ex qualitate pœnæ, legis obligatio pendeat quantum ad culpam, hoc eſt, ſi pœna ſit grauis, obliget ad mortale, ſiue leuis, ad veniale; & ita intelligendus eſt *Sotus libro* 1. *de Iustitia, quæstione* 6. *articulo* 5. Syluester, verbo *Inobedientia*. §. vltimo. & multi alij qui videntur diſſentire ab opinione Nauarri ſuprà poſita.

TERTIA QVÆSTIO.

An Lex pœnalis obliget, non ſolùm ad pœnam temporalem & externam; ſed etiam internam, & ſpiritualem.

RESponſio in promptu eſt, quandoque legem pœnalem ſolùm ſecum afferre externam, & temporalē pœnam, vti cum ipſa lex more ciuilis eſt; quandoque ſecum etiam continere pœnam ſpiritualem, vti fieri contingit ſæpè, dum lex eſt Eccleſiaſtica, cùm ſolus Legiſlator Eccleſiaſticus, & non alius, poſſit huiuſmodi pœnas infligere; & nihil aliud ſunt ipſę pœnæ, quàm excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum, irregularitas, & alia huiuſmodi, quæ nomine pœnæ Eccleſiaſticæ propriè vel impropriè exprimi poſſunt: & quod eſt notandum, frequentiſſimæ Cóſtitutiones ſummorum Pontificum, vnam & alteram pœnam ſecum continent, vti facilè videri poteſt in magno Bullario, & alibi, vbi huiuſmodi conſtitutiones ſunt regiſtratæ.

QVAR

QVARTA QVÆSTIO.

An pœna ipſo facto in lege poſita obliget in conſcientia ante ſententiam, quoad pœnam temporalem?

PRimô, quando ipſo facto pœnam lex diſcernit, tunc ſententia Iudicis non eſt neceſſaria, vt feratur ſuper pœnam: eſt enim iam decurſa, ſed ſuper crimen, ad hoc, vt reus comprehendatur, & bona illius per fiſcum occupentur, cui aliter non conſtaret de delicto incurſo. Et hæc ſententia dicitur ſententia declaratoria, ſeu Iudicis, & non legis, ante quam condemnationis ſententiam pœna legis in foro conſcientiæ non obligat. *Ex Gloſſa in cap. Fraternitatis.* 12. *q.*2. quam Doctores communiter commendant *in cap. de conſt. D. Thomas* 2.2. *q.*62. *art.*3. *& ibi Caietanus.* 1.

Suppoſita præmiſſa concluſione, reus non tenetur in conſcientia, bona ſua, ſtatim commiſſa culpa, à ſe abalienare, niſi talis fuerit declaratus per Iudicis ſententiam: vt exempli gratia, in capite *Cùm ſecundùm. de hæreticis. lib. 6.* licèt in crimine hæreſis ipſo iure, ſeu facto 2.

imponatur pœna confiſcationis, requiritur tamen ſententia illa Iudicis declaratoria ſuper crimine illo, antequàm exequutio fiat. Itidem ſentiendum eſt, vt de hæreticis, ſic & de bannitis, & quibuſcumque aliis reis læſæ maieſtatis, in quo crimine lege pœnali, bona confiſcantur, dominium ipſorum bonorum amittitur, & fiſco acquiritur. Sicque intelligenda ſunt ſtatuta in Religionibus, & extra, quibus cauetur, vt qui tale quid fecerit, ipſo facto ſuis officiis ſit priuatus: quia (vt dictum eſt) expedit, vt per Iudicem declaretur, antequàm exequutio fiat. Sic licèt Tabellio crimine quodam falſitatis pœna legis tabellionatus officio priuetur, tamen ante Iudicis ſententiam tuta conſcientia poterit officium ſuum exercere, & inſtrumenta eius valida erunt, donec ipſe talis declaretur. *Sylueſter in verbo Hæreſis. 1. q. 8. verſic. 11. in fine.*

3. Sedulò hîc etiam notandum eſt, quòd talis clauſula in lege repetita, ipſo iure, vel facto latæ ſententiæ, & huiuſmodi tria operatur. Primò, perditionem ipſius rei: quo fit, vt res quælibet per delinquentem alienata à die commiſſi criminis, vendicari poſſit à fiſco, pretio ipſi

emptori

emptori etiam minimè ſoluto, cùm ſcilicet talis ſententia Iudicis interuenerit, niſi ipſa alienatio à delinquente fuerit facta ex cauſa pernecceſſaria: vti pro alimentis ſuis,& ſuorum. *Syluester in verbò Hæreſis. q.* 8. Secundô, clauſula iſta operatur reſtitutionem fructuum intermedij temporis: nam à die commiſſi criminis reus non poteſt facere fructus ſuos, vt ſcilicet locupletior fiat, ſed ſtatim fiſco lege dictante adſcribuntur: quod tamen aliter ſciendum eſt, cùm reus ob delictum eſſet bonis priuandus per Iudicis ſententiam, vel litis conteſtationem, id eſt, criminis accuſationem. Tertiô, operatur, vt dicta pœna tranſeat in hæredes, etiam filios: nam licèt aliàs morte delinquentis delicta extinguantur, & filius non portet iniquitatem patris: tamen quando lege, vel canone pœna amiſſionis bonorum propter crimen læſæ maieſtatis, diuinæ, ſeu humanæ, inducitur ipſo iure, ſeu facto, etiam mortuo delinquente, crimen illud poteſt tractari contra hæredes, etiam filios, non ſolùm quantum ad hunc effectum, vt ſcilicet fiſcus illa bona conſequatur, ſed etiam infamiæ nota puniri

poſſunt, & publicis officiis indigni declarari.

4. Multæ intereà colligi poſſunt exceptiones à præmiſſa concluſione. Prima, quôd etiam lata ſententia condemnatoria, vel declaratoria non tenetur reus ad ſolutionem pœnæ in foro conſcientiæ, niſi ſententiam illam ſequatur iudicialis exequutio: non enim tenetur contra ſe ſententiam exequutioni mandare, neque fiſco bona ipſa hîc afferre, niſi forſan pœna illa eſſet ad aliud faciendum, quàm ad amiſſionem bonorum, vel pœnam mortis, vel læſionis corporalis; ſed (inquam) ad aliud, vti peregrinari, in exilium ſecedere, & ſimilia: ad quas pœnas ſententia Iudicis citra prædictam exequutionem reus in foro conſcientiæ obligatur, & tenetur peragere. *Caietan. 2. 2. q. 69. art. 3. Sotus de iuſtitia & iure, lib. 1. q. 6. art. 6. concluſ. 5.* Secunda, quôd cùm in canone pœna ipſo iure ponitur ex facto negatiuo, tunc Iudicis ſententia declaratoria non requiritur, vbi certum tempus præſcribitur, quominùs reus in conſcientia lege pœnali non obligetur: vti cùm quis in Eccleſiam parrochialem promouetur ea conditione, vt intra anni vnius tempus

pus fiat Sacerdos, ſub pœna perdendi eam ipſo iure, ſi intra illius temporis ſpatium ſacerdotio non promoueatur. *Sylueſter in verbo Clericus.3.num.5.* Tertia, quando pœna non imponitur propriè vt pœna, ſed vt quædam conditio, vel modus rei traditæ: vt cùm teſtator reliquit aliquid faciendum, vel aliàs quid amittendum, ſecundùm Panormitanum communiter receptum *in cap. Raynaldus. ſuper Gloſſa. verſ.adiiciens. de teſtamentis.* tunc enim non impleta conditione, vel modo, non poteſt tuta conſcientia legatum retineri. Sic etiam *Nauarr. de horis canon. cap.21. num.48.* Ita vt fœmina, quæ ex mariti teſtamento vſufructuaria relicta eſt in bonis ipſius mariti, hac lege, vt caſtè viuat, omninò teneatur vſumfructum reſtituere mariti hæredibus in animæ iudicio, ex quo caſtitatem non ſeruauit. *Nauarr. cap. 23. num. 62. in Manuali.* Sícque intelligendum eſt de Clerico beneficiato, qui Horas canonicas non recitauit, vel in beneficio reſidentiam requiſitam non fecerit. *Ex Concilio Lateranenſi vltimo, ſeſſ. 9. & Concilio Tridentino, ſeſſ. 23. cap. 11. de reformatione.* Quòd ſcilicet teneatur ad reſtitutionem fructuum in conſcientia,

ſcientia, etiamſi talis non fuerit condemnatus per declaratoriam Iudicis ſententiam. Sunt & aliæ multæ ſimiles in hac re exceptiones, quas alibi videre licebit.

Quoad pœnam ſpiritualem.

CVm ſuprà dictum ſit, quæſtione nempe tertia, legem poſſe obligare ipſo facto, non ſolùm ad pœnam temporariam, ſed etiam ad pœnam ſpiritualem: quia de pœna temporaria iam ſatis dictum eſt, ſupereſt de pœna ſpirituali quid etiam tractandum. An ſcilicet quis tali pœna irretitus, virtute legis teneatur illam exſoluere citra Iudicis ſententiam declaratoriam? vti exempli gratia, cùm quis Eccleſiaſticus incidit in excommunicationem, ſuſpenſionem, vel interdictum, virtute alicuius decreti, & canonis, quem ipſe tranſilierit: qui canon talem pœnam ipſo facto contineret. Ad quod reſpondetur, vel pœnam illam iure perſcriptam reſpicere actus merè ſpirituales, & alicuius ordinis ſacri, & tunc etiam Eccleſiaſticum teneri illa pœna, etiamſi non fuerit condemnatus à Iudice: vti eſt Miſſam cele

celebrare, Sacramenta adminiſtrare, vel eis communicare : quatenus enim ſic lege eſt excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus, vel irregularis, infamis efficitur, non capax, immò indignus huiuſmodi actibus. Si verò pœna illa reſpiciat actus externos, ſed temporales, vel ſaltem minùs ſpirituales : vti ſunt intereſſe in choro, vocem ſuam dare in Capitulo, & huiuſmodi, tunc delicto occulto ſtante, & nondum per Iudicem declarato, non tenetur Clericus ab eis ſeſe abſtinere, nec debet abſtinendo talem ſe præbere. *A Sorbo in ſuis annotationibus ſuper titulum Declaratio Bullæ de largitione munerum. & tit. Ingredi Monaſteria Fratrum, vel Monialium. In Compendio priuilegiorum. & Nauarr.* licèt de his breuiter. *cap. 23. num. 67. de Graff. 1. part. lib. 2. cap. 11. num. 30. 53. 54. Franciſcus Suarez tomo 5. diſtinct. 3. de modis, quibus fertur cenſura. ſeſſ. 3.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO QVINTA, ET OMNIVM MAXIME expendenda.

Quibus de cauſis ceſſat legis humanæ obligatio, idque ſaltem in gratiam, & fauorem longè diſtantium à partibus Italiæ, vti partim fecit Nauarrus tit. de conſtitutionibus. *in gratiam nempe (vt inquit ille) Tranſmontanorum.*

NAuarrus *in Manuali, prælud. 9. & cap. 23. à num. 35. & in Conſiliis, tit. de conſtitutionibus. Toletus in ſua Summa, vbi de ſeptem peccatis mortalibus. cap. 18. De Graff. 1. part. lib. 1. cap. 14. à num. 5. & lib. 2. cap. 10. Viuald. in explicatione Bullæ Cœnæ Domini, num. 10. & in 4. part. ſui operis, cap.* 8. vbi de lege canonica, ſuccinctè tamen in vtroque loco.

Prima cauſa excuſans ab obligatione legis humanæ eſt, ſi non fuerit iuridicè promulgata.

SVprà dictum eſt in prima quæſtione huiuſce capitis, varias requiri conditiones legis humanæ, vt obliget, nimirum vt ſit iuſta, promulgata, recepta, non ignorata, & huiuſmodi. De prima ipſarum conditionum ibidem iam dictum.

dictum eſt : quare de cæteris diffusè hîc diſſerendum. Quantum igitur ad legis promulgationem, adeò neceſſaria & eſſentialis eſt, vt ſi non fuerit promulgata, nullam vim obligādi habeat; in cuius rei explicationem ſequentes annotabuntur concluſiones.

Prima concluſio quantum ad rationem ipſius promulgationis, obſeruandum eſt varias doctorum eſſe opiniones; 1.
alij enim volunt legem Pōtificiam, non ſolùm promulgandam eſſe Romæ, ſed etiam in Prouincia, vt ibi vim obligādi habeat, ſicut fertur de legis Imperatoris promulgatione; quaſi in hanc rem illud referant Diui Hieronymi dictum (in aliū tamen ſenſum) quod habetur *diſtinct.93. cap.legimus*: quod nempè Orbis maior eſt vrbe: alij autem contēdunt ſatis eſſe, vt Romæ ſit publicata, & elapſo tempore ibi præſcripto omnes vbique Fideles obligare: alium enim illi infra duos mēſes poſſe tranſire illam publicationem in notitiam aliorum, eò quod in Curia ſoleant confluere homines ex omni parte mundi. *Tolet. vbi de ſeptem peccatis, cap.* 28. *Azorius lib.5.cap.3.* Alij Authores intermediam ſequuntur ſententiā, & quaſi reliquos conciliantes, dicunt primam ſenten

ſententiam eſſe iuxta ſtylum vrbis,& ſequendam,ſaltem quantum ad partes Italiæ:Secundam verò ſententiam eſſe iuxta ſtylum Orbis, & Iuris antiqui, tenendam etiam eſſe ad minus, quantum ad Tranſmontanos, & procul ab Italia degentes. *Angel.verbo lex.Nauarr.tit.de conſtit.q.4.num.*18.

2. Legis Pontificiæ promulgationem Romæ factam, obligare etiam procul ab Italia degentes,volunt quidam, quãtum ad præſumptionem fori litigioſi, ídque intelligendum eſſe quatenus ſpectat ad magiſtratus locorum, qui citra cauſam legitimam impedirent, quominus dicta lex in ſua Prouincia publicaretur: ad quod euitandum ſummi Pontifices in fine Bullæ Cœnæ Domini, ſolent mandare Epiſcopis, vt curent eam promulgare,ſaltem ſemel in anno in diæceſibus & Ciuitatibus ſuis, ídque non ſolùm ex conſilio,vt Greg.XIII. Sixtus V. ſed etiã ex præcepto,vt Pius V.& Clemens VIII. Quare ita incumbit Epiſcopis huiuſmodi publicatio,vt ſi ab aliò ibi fieret quàm ab ipſis, ſeu eorum Vicariis, ſubditos illorum non obligaret in conſciẽtia, cùm ſcilicet iuridicè non fuerit facta,hoc eſt, ab eo cuius erat ex officio eam facere; non

non eſſent tamen Epiſcopi, ſeu Prælati id non exequentes iuxta mãdatum ſummi Pontificis (vt notatum eſt) immunes à peccato, niſi aliundè & graui ex cauſa excuſentur. *Angel. verbo Caſus, excommunicatione 7. Caſu 47. num. 3. Silueſt. de excommunicatione, q. vltima. §. 4. Nauarr. tit. de Conſtit.*

Alij volunt quod vt Epiſcopi compellantur ad ipſas ſummorum Pontificum Conſtitutiones promulgandas, non ſolùm vt tenore ipſarum eis id mandetur ex parte Sedis Apoſtolicæ (vt dictum eſt) ſed etiam expreſſo & ſpeciali mandato ipſis iniungatur ipſas publicare; ita vt ſi aliter contingat, non ſolùm diæceſani immunes erunt ab obligatione legis, ſed etiam ipſimet Epiſcopi. *Caiet. 1. 2. q. 90. art. 4.* 3.

Quod Reges, Principes, Magiſtratus Ciuiles, vt Curiæ, Parlamenta, & ſimiles, quandoque iuſtam cauſam poſſunt habere impediendi huiuſmodi Bullarum publicationem, imo eas non recipiendi (conſulto intereà ſummo Pontifice) vti ex Bulla notatur à Toleto *lib. 1. cap. 27.* cùm ſcilicet receptio illarum quodammodo ſtatum regni, ſeu patriæ ſubagitaret & commoueret: huiuſmodi enim 4.

Bullæ

Bullæ ſeu Conſtitutiones ſunt de iure humano; pacem autem & tranquillitatem patriæ tutari de iure naturali: & occurrentibus duobus illis iuribus, humanum naturali cedere ſolet. *Viuald.in* 1.*p. editione ſui Candelabri, in explicatione Bullæ Cœnæ Domini, à num.*98. *vſque ad num.* 110. id ipſum docens, confirmat nonnullis exemplis, potiſſimùm de Bullis Apoſtolicis à Parlamentis regijs non admiſſis, cùm agitur ibi de promotione alicuius extranei ad aliquod beneficium regni contra Concordatum initum inter Sedem Apoſtolicam, & Reges, maximè Galliæ, & Hiſpaniæ. Vide in hanc rem Nauarrum, *tit.de ſententia excommunicationis, conſil.*29.*num.*2. *Azorium* 1.*p.lib.* 5.*cap.*12.14.*de Graff.*1.*p.lib.*4.*cap.*15.

5. Concurrit in hanc quæſtionem primo Decretum Concilij Trid. *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *de reformatione*, quod eſt contra matrimonia clandeſtina, vt nimirum matrimonium in poſterum contraheretur tribus factis denuntiationibus in facie Eccleſiæ coram Parocho, duobus aut tribus teſtibus, nimirum quod tale Decretum nonobſtante quauis promulgatione alibi facta, & generalis Concilij approbatione, publicetur iterum non

ſolùm

ſolùm in Prouincia & in Eccleſia Cathedrali,ſed etiam in Parœcia, vt parochianos illos obliget non illicò, ſed ſolùm poſt triginta dies à die publicationis. Secundo quòd Conſtitutio, ſeu extrauagans Pij II. cùm ex ſacrorum, ex cuius tenore ſuſpenſus haberetur ipſo facto, qui ab alieno Epiſcopo ſacris Ordinibus initiaretur abſque litteris dimiſſoriis ſui proprij Epiſcopi, vel ab ipſo proprio promoueretur ad ſacros Ordines ante ætatem vel extra tempora: ipſa, inquam, extrauagans tempore Nauarri non erat adhuc publicata,nec vllibi ſcriptis mandata, ita ipſe teſtatur *tit. de tempore ordinandorum,conſil.* 24.315. ſe feciſſe vt Salmanticæ publicaretur. Quare ex his,& ſimilibus, videtur ſimpliciter non ſufficere Pontificiæ Bullæ promulgationem Romæ factam,ſed alibi etiam ingeminandam eſſe, vt poſſit obligare: & ipſum Concilium Trid. *Seſſ.*23.*cap.*1.*de reformatione.* mandat Edictum de reſidentia ſub Paulo III. factum eſſe publicandum in Conciliis Prouincialibus, & Epiſcopalibus.

Secunda

Secunda Cauſa excuſans ab obligatione legis; ſi nimirum non fuerit recepta.

1. PRæter legis humanæ promulgationem abſolutè etiam requiritur (vt poſſit obligare) fuiſſe etiam inde receptam à maiori ſaltem populi parte, ita vt dicat Nauarr. leges & Decreta ſacri Cõcilij Trid. non obligare Polonos, eo quòd ipſi Concilium nondum receperint, & ſi ſcire poſſint huiuſmodi leges & Decreta fuiſſe Romæ promulgata. *Nauarr. tit. de Conſtit. q.56. & Azorius* 1. *parte lib.5. cap.3.* Conſtitutiones Pontificias quæ non ſunt in corpore iuris, vim obligandi non habent vbi non ſunt receptæ, vti nominatim (inquit ille) de Bulla Cœnę Domini. Et idem Azorius *lib.*8. *cap.* 16. 1.*p.* licitè libros hæreticorum poſſe legi in Gallia, Germania, & Anglia, & ſimilibus, quia ibi Bulla Cœnæ Domini vſui non eſt recepta.

Tribus autem modis lex tanquam non recepta poteſt conſiderari, ſicque ſubditos non obligare, primò dicitur per non vſum ſaltem decennalem, ſi ſcilicet à principio & per ſpatium decem annorum

rum non fuerit recepta, neq; obſeruata: Secundò per diſſuetudinem quadraginta annorum, hoc eſt, quod quámque à principio fuerit recepta, & vſu habita, tamen ſucceſſu temporis deſierint homines, eam obſeruare per ſucceſſionem non interruptam. Tertiò etiam ſi per minus temporis ſpatium, non obſeruetur lex, ſeu obſeruata deſierit, etiam tunc ceſſat obligare, maximè ſi noua eſt, & recenter edita cùm id fit ſeu contingit ſciente & tolerante Legiſlatore, cùm tamen cogere, ſeu punire tranſgreſſores poſſet. In huius rei exemplum poſſunt afferri excommunicationes olim latæ contra ſcientes hæreticos, ſeu ſimoniacos, & non reuelantes: quæ tamen cenſuræ nihil modò vigoris habent, & vſus extra Italiam ſeu in ipſis partibus procul Roma diſtantibus, quas Tranſmontana loca vocant, niſi in Hiſpania denuntiatio hæreticorum. *Nauarr. de hæreticis, conſil. 9. de Conſtitutione, q. 5. num. 25. q. 8. nu. 32. de ſententent. excommunicationis, conſil. 8. nu. 4. Silueſter verbo Conſuetudo*, §. 17. Item poteſt afferri quod notatum eſt per Silueſtrum verbo *matrimonium*. 8. §. 12. de Clericis Græcorum, qui vxorati ſacris tandem initiati, non continent ſe ab vxo-

ribus

ribus antè adductis, modò & citra cenſuram & culpam, cùm anteà diſtrictè eis prohibitū fuiſſet à tempore, nempè primi Concilij Niceni, ne ſcilicet in poſterum Clericus etiam primæ vxoris viuente illa ſacris initiaretur. hinc *Henric. Henriq. lib.7. cap.*20. Lex, inquit, non recepta eſt, quæ non tranſit Pyrenæos, minúſque Hiſpanos obligat, & quantum ad extrauagantem, Eum deteſtabile. *Tolet. lib.5. cap.93. Nauarr. de ſententia excommunicationis, conſil.*8. *num.*4.

3. Notandum item eſt in hanc rem plures extrauagantes, etiam in Corpore Iuris incluſas, ſaltem per diſſuetudinem, & non vſum modò non obligare: referuntur autem ipſæ ex Gratiano deſumptæ per Nauarr. *tit. de Regularibus, conſil.* 83. *num.*1. *&* 2. Quædam aliæ Extrauagantes modò in vno loco in totum obligāt, & in alio loco ſolùm ex parte, vti fertur ex Nauarr. *tit. de vſuris, conſil.*34. *num.*2. omnes particulas Bullæ Pij V. de vſuris extra ſtatum Apoſtolicum non neceſſariò ſeruari, ſicut etiam ſuprà dicta Pij II. Extrauagans, quæ incipit: *Cùm ex ſacrorum*, lata contra Clericos qui ſine litteris dimiſſoriis ſui Epiſcopi ſacris Ordinibus initiarentur ab alieno Epiſcopo: quæ

tamen

tamen modò non abſolutè obligat, ſaltem iure antiquo, ita vt ſi Clericus citramontanus, ſeu Italus, ordinetur ab Epiſcopo Hiſpano, ſeu Gallo, & huiuſmodi non ſit modò ſuſpenſus; & ſi talem ſuſpenſionem incurrat Clericus vltramontanus, ſic ordinatus ab Epiſcopo Italo. *Nauarr. de temporibus ordinationum, conſil.* 32. *Vinald. de ſuſpenſione, num.* 78. *Silueſter verbo Irregularitas.* §. 9. & ſic de ſimilibus. Cæterùm etſi huiuſmodi Conſtitutiones Pontificum, ſeu ſacrorum Conciliorum in aliquibus terris modò non ſint receptæ, minúſque obligent; tamen minimè cenſendum eſt, illas periſſe, ſeu reuocatas fuiſſe, ſed ſolùm ſuſpenſas, ita vt cùm vniuerſitates illorum locorũ eas receperint ſimul ſunt valituræ, & vim obligandi habituræ. *Nauarr. de conſtit. q.* 7. Nota intereà ex Coſmo Philiarca, 1. *p. lib.* 3. *cap.* 9. & explicatiùs in eius Compendio cap. de excommunicatione, billas Papæ à principio non recipientes, & qui primò incipiunt, introducere conſuetudinem contrariam iam receptis peccare, & cenſuris ligari.

Tertia cauſa excuſans ab obligatione legis, eſt iuſta ipſiuſmet legis ignorantia.

NOn ſatis eſt vt Lex Canonica, ſeu Pontificia ſit promulgata & recepta, ſed etiam vt ſit iuridicè notificata & cognita, ita vt nulla interſit de ea iuſta & inuincibilis ignorantia, ſi quidem ignorantia talem vſum voluntatis excludit, & nullus (vt dicitur) niſi volens cenſuras incurrit: eſt autem iuſta ignorantia, cùm quis ignorat id quod ſcire non potuit, nec ſcire tenetur; & ea eſt duplex, altera facti, altera iuris: facti, vt cùm quis percutit Clericum, quem ignorat talem eſſe; iuris, quòd licèt ſciret eum eſſe Clericum, tamen ignorat fore excommunicatũ iure ipſo qui eum percuſſerit. Simile exemplum eſt de eo qui librum hæreticum legit ignorans tum eſſe talem, nec excommunicationem incidere qui talem legerit: quare fertur communiter à Doctoribus milites, ruſticos, plebeios, fœminas, & huiuſmodi, excuſari ab huiuſmodi legis humanæ obligatione qui

qui communiter hac ignorantia laborant, & minùs ad eos pertineat iúri Canonico incumbere. *Nauarrus capite 23. à numero 45. cap. 27. num. 109. & tit. de Conſtit. conſil. 1. à numero 3. Silueſter verbo Excommunicatio, quæſt. vltima.* §. 41. Dictum eſt de ignorantia iuſta, & inuincibili, ad differentiam ignorantiæ affectatæ, ſeu prauæ diſpoſitionis, craſſæ, vel ſupinæ. Affectata ignorantia eſt, cùm quis ignorat quòd ſcire tenetur, vt liberiùs, & cum minori conſcientiæ ſcrupulo contra legem agat, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Noluit intelligere, vt malè ageret.* Et hæc ignorantia non excuſat, ſed auget peccatum, & aggrauat pœnã. Ignorantia craſſa eſt, cùm quis ignorat, id quod communiter homines ſui ordinis ſciunt, & hæc quidem excuſat à tanto, ſed non à toto; vti cùm Prælati, Medici, Aduocati, & alij officiales, qui ſuas artes ſine iuſta & debita ſcientia exercent, vnde notabile damnum, ſpirituale aut corporale proximis euenit. De hac ignorantiæ varietate, vide *Nauarr. cap. 23. à numero 45. de Graſſ. 1. p. lib. 4. cap. 9.* Hinc quàm benè ipſe Nauarrus annotauit, *titulo de excommunicatione, conſil. 32. numero 6. & conſilio 54. numero ſexto.*

Extrauagantes, quæ ſunt extra Corpus Iuris, legitimè ignoratas, non ſolùm tranſgreſſorem ſuum excuſare à cenſura, ſed etiam à culpa. Ad hæc intereà ſciendùm eſt, ſæpè legem humanam, etiam Canonicam, continere prohibitionem rei, quæ etiam iure naturali, ſeu Diuino eſt prohibita, vti cùm prohibetur Clericum percutere, aut bona naufragantium vſurpare, & ſimilia: vnde ſi quis ignoranter tales leges tranſgrediatur, excuſari quidem poterit in foro Cóſcientiæ à cenſura, cùm ea ſit à iure poſitiuo, & humano, & eam iuſtè potuerit ignorare; non autem poteſt à culpa excuſari, cùm nullum ius naturale, ſeu Diuinum, iuſtè ignorare valeat, quo prohibetur proximum lædere, & bona illius ſibi vſurpare. *Nauarrus de conſt. conſil.4.numero 2. Sylueſt. verbo Excommunicatio. 2. §. 5. & verbo Ignorantia*, ad longum, maximè *§.14. de Graff. 1.p. lib.4. cap.9. num.35.*

Quarta

Quarta conditio excuſans ab obligatione legis humanæ, eſt cùm iuſta aliqua cauſa contingit in contrarium legis, non autem contra mentem Legiſlatoris.

EXcuſat item hominem ab obligatione legis humanæ, iuſta cauſa interueniens,& rationabilis. Ea autem huiuſmodi dicitur,quàm ſi Legiſlator tunc adeſſet,tranſgreſſorem pro excuſato haberet: vti lege poſitiua, & humana prohibitum eſt,Eccleſiaſticis perſonis arma tractare; tamen iure naturali eis conceditur armis ſe defendere,vitã ſuam ſuorúmque,& Patriã tutari; cùm aliter fieri nõ poteſt. Similiter lege humana prohibitum eſt,arma,ferrũ,ſtãnum,& alia huiuſmodi inſtrumẽta bellica ferre ad Turcas, & alios Chriſtianitatis hoſtes: tamen (vt annotauit Viualdus in explicatione Bullæ Cœnæ Domini *nu.*63.)iuſta cauſa haberetur ex ipſo iure naturali,talia ad ipſos deferre in redemptionem fidelium,cùm alia via redimi non poſſent; maximè cùm eſſent perſonę Reipublicę

multùm neceſſariæ & perutiles, & illa prohibita deferentur eo tempore, quo non eſſet bellum inter Rempublicam, ſeu regnum illud, & Turcas illos, ſeu alios infideles: ſemper enim ius humanum cedere ſolet iuri naturali, ſeu diuino occurrenti. Tertium exemplum fertur apud Toletum, vbi de ſeptem peccatis mortalibus *cap.* 19. *numero* 6. Deſumptum è D. Thoma 1. 2. *quæſtione* 96. *articulo* 6. de lege prohibente, ne portæ ciuitatis ab hoſtibus obſeſſę vllo modo aperiantur ſub pœna capitis; quas tamen licet aperire ciuibus eò confugientibus ad manus euitandas hoſtium hoſtiliter inſectantium.

Quinta cauſa eſt, cùm bona fide Lex violatur, & citra omnem præſumptionem & contemptum.

AD hanc cauſam detegendam ſedulò obſeruandum eſt, an in Extrauagantibus, Conſtitutionibus Pontificiis, huiuſmodi fiat expreſsè vlla mētio præſumptionis, & ibi legatur clauſula: *Si*

quis

quis præſumpſerit, vti in fine Bullæ Cœnę Domini legitur, §. *Cæterùm.* cùm dicitur fore excommunicatum qui præſumpſerit abſoluere à caſibus in hac Bulla contentis, præterquàm in articulo mortis, cùm ſoli ſummo Pontifici ſint reſeruati. Similiter in Bulla Pij II. quæ incipit: *Cùm ex Sacrorum.* vbi dicitur Clericum qui præſumpſerit accipere ſacros Ordines ante ætatem, extra tempora, & ab alio Epiſcopo ſine litteris dimiſſoriis, ipſo facto eſſe ſuſpenſum: & ſic in ſimilibus: nam cùm quis contra ipſas ſanctiones, & leges, quid fecerit, citra tamen omnem præſumptionem, legíſve contemptum, ſed ſolùm ſimplicitate quadam, bona fide, amore, obliuione, aut inconſideratione; tunc non incurrit cenſuras in illis conſtitutionibus contentas. *Viualdus* in explicatione Bullæ Cœnæ Domini, ſub finem, *num.* 38. *ex* 1. editione; id tamẽ intelligendũ eſt, quoad forum cõſcientiæ, etſi quoad forum exterius pro excommunicato, vel ſuſpenſo haberetur, cùm Eccleſia non iudicet de occultis, ſed cenſuras diſcernat præſumptione iuris, ex actibus externis. Dicunt & inſuper quidam alij, talem legis trãſgreſſorem cenſuram nõ incurrere, etiãſi

legem ſoluerit quadam præſumptione, hoc eſt, modò ipſa legis tranſgreſſio ſecũdariò & minus principaliter præſumptiuè fuerit facta, & aliunde primariò & magis principaliter, vti potiſſimùm ex ira quadam, ſeu auaritia, & huiuſmodi; híc que etiam cenſendum eſt quoad forum Poli, non autem quoad forum fori. *Nauar. cap. 23. num. 42. Tolet. lib. 1. cap. 15. de Graff. lib. 3. cap. 3. Azorius lib. 1. cap. 15. lib. 5. cap. 10.*

Sexta eſt mentis ſubreptio, ſiue repentina animi perturbatio, iudicium hominis præueniens & impediens.

QVia huiuſmodi animi perturbatio vſum voluntatis non admittit ſed impedit; dicitur excuſare à legis obligatione, cũ excuſet & à culpa, & pœna legis: non enim eſt peccatum, niſi ſit volũtarium; vti exẽpli gratia: ſi aliquis quoddam etiam Decalogi præceptum ſic perturbatus tranſgrederetur, non peccaret ſaltem mortaliter vti Deum blaſphemando cum tanta animi perturbatione, vt non animaduertere potuerit quid diceret, cùm talia proferret verba; niſi

niſi intereà aliter in eo fuerit aſſuetus homo: nam tunc non tantam videtur ſupponere perturbationem, quæ ſic animi iudicium impediat. Et conſuetudo illa quodammodo voluntaria erit, & ſic minùs excuſari poterit à culpa, nec etiam à pœna excommunicationis maioris, quæ fertur ob mortalem culpam. Hoc autem etiam intelligendum eſt, quantum ad forum fori, ídque ratione in præcedenti cauſa poſita. *Nauarr. prælud.* 9. *num.* 10. & *cap.* 12. *num.* 84. *De Graff.* 1. *part. lib.* 1. *cap.* 6. *à num.* 16.

Septima cauſa eſt paruitas materiæ, ſeu res parui momenti.

IN tranſgreſſione legis etiam Diuinæ, vt peccatum mortale diſcernatur, inter cætera habenda eſt ratio materiæ, ſiquidem ſi leuis ſit, ſeu parui momenti, excuſat à peccato mortali, & per conſequens ab excommunicatione, ſi quæ ei eſſet annexa, vti habetur in §. *nunc autem. ſub fine diſtinct.* 25. vti nimirum, cùm lege diuina dicitur: *Non furtum facies.* Si quis contra præceptum, quadrantem, vel etiam aſſem furaretur,

non dicitur peccare mortaliter, ratione materiæ, niſi variis vicibus, & multoties id præſtiterit: nam ex tali ingeminato furto res non leuis, ſed grauis eſſe poteſt, & alicuius momenti. Similiter in iuramento pater & mater excuſantur à mortali, ſi iuramentum de filio caſtigando, aut de pomo ei dando non ſeruauerit, & ſic de ſimilibus. *Nauarr. cap.* 12. *num.* 10. *cap.* 23. *num.* 117.

Octaua cauſa eſt terminus temporis ad obligandum per legem conſtitutus, nondum elapſus.

LEx quidem communiter non ligat ante lapſum temporis, quod Legiſlator præſcripſit, vt ipſa ligare incipiat. Quale autem ſit tale temporis ſpatium, dicitur quantum ad legem Principis, eſſe communiter duorum menſium, à die publicationis: ita vt ſi quis intra ſpatium ipſius temporis ſciuerit legem eſſe promulgatam, & contra legem illam egerit, cenſebitur contra legem non peccaſſe, quantum quidem ad pœnam legis, ſeu cenſuram, quæ reſpicit forum exterius: non autem

tem immunis erit à peccato, ſeu culpa, in foro interiori, ex illa tranſgreſſione, cùm ſcienter id præſtiterit, & citra omnem ignorantiam, ad quam euitandam tale temporis ſpatium fuerat aſſignatum. Ad hæc, ſi lex fuerit inferioris Principis, ſtatim incipit ligare ſubditos à tempore promulgationis, & ſcientiæ illius, cùm tunc nullum temporis ſpatium aſſignetur. *Nauarr. de conſtitutionib. quæſt. 4. à numero 15. & cap. 23. num. 44. Sylueſter verbo Lex. §. 6.*

Nona, & decima cauſa excuſans ab obligatione legis, ſunt abrogatio & diſpenſatio.

VAriæ aliæ cauſæ excuſantes à legis humanæ obligatione occurrere ſolent, quæ tamen tum breuitatis cauſa, tum quia ad ſupradictas reduci poſſunt, modò prætermittentur, & inſtitutam diſputationem concludentes, ſupradictis cauſis expreſsè poſſe addi legis abrogationem, & diſpenſationem: cùm nimirum lex abrogata, & per aliam legem contrariam ſubſequentem: item

cùm diſpenſatio iuſta ſupra illam impetrata eſt: de quibus duabus cauſis, etiam excuſantibus, *Nauarr. preludio 9. à numero 10. & cap. 23.*

BREVIS,

BREVIS, ET COMPENDIOſA enarratio eorum, quæ ſcire debent Clerici ad ſacros Ordines aſſumendi, & quoad confeſſiónes ſacramentales audiendas admittendi: tum qui ad Eccleſias parochiales, & beneficia cum cura animarum ſunt promouendi, iuxta iuris communis diſpoſitionem, maximè ex Concilio Tridentino deſumptam, & in Catechiſmo Romano ad Parochos diffuſiùs repetitam, vbi in vtroque de Sacramentis agitur, potiſſimùm Ordinis, & Pœnitentiæ: & hæc ſingula, prout cuique Epiſcoporum videbitur, in ſua diœceſi eſſe ſeruanda.

CERTISSIMVM ſanè eſt, regimen Eccleſiæ, curámque animarum, ſcientiam ſcientiarum eſſe, ſeu, vt quidam vocant, artem artium; miniſtrúmque requirere non ſolùm prouidum, probatum, ſed quàm eruditum: cautum enim lege erat, ne accederet homo ad miniſterium Dei, ſi cæcus, aut claudus eſſet, hoc eſt, ne moribus.

De Graff. 1. p. lib. 1. c. 15. n. 16. Ex titulo de ætat. & qualitate præfic. cap. cùm ſit. Leuit. 21.

ribus corruptus, immò bene moratus,& ſcientiam haberet non vulgarem, ſed exactam, & qualem decet, qui in ſortem Domini vocandus, ad quam ipſe Dominus hortatur, dicens: *Mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini, quia mundus ego ſum.* Et dum requirit, vt inter lepram & lepram tales valeant diſcernere, ne videlicet, vt alibi dicit: *Ne cæcus cæcum ducat, & ambo in foueam cadant.* Quare optimo iure olim vigiles Paſtores manus ſemper continentes, & parcas habuerunt, hoc eſt, non facilè illas impoſuerunt cuique in Eccleſiæ adminiſtrationem promouendo, iuxta conſilium Apoſtolicum, cùm ſibi poteſtas non in deſtructionem, ſed in ædificationem data eſſet: ita vt ſummos Patres, & ſummos Pontifices, ſanctitate, & diligentia inſignes perpaucas huiuſmodi ordinationes feciſſe, eorum teſtetur hiſtoria: & Eccleſia mater prouida, eos pariter hortatur, & quaſi compellit variis cenſuris, & pœnis, nempe ne ipſos promouendos admittant, niſi ſumma præuia inquiſitione de vita, & moribus, & explorata eorum ſcientia, & ſufficientia debito, diligentíque examine. Quare

Iſai. c. 52.

Deut. 17.

Matt. 15.

1. Timoth. 5.

2. Corinth. 13.

(optimi

(optimi Clerici, & Sacerdotes futuri); non abs re mihi viſum fuit breui enarratione in gratiam veſtri perſtringere,& quaſi in tabella ſummariè depingere, quæ quiſque veſtrûm ſcire oporteat pro varietate officij: cauendum enim eſt,ne (vt aiunt) in ipſo limine præcipites ruamus, præpoſterum quippe eſt magiſterium affectare, & tyrocinium anteà non feciſſe. Sit ergo vobis ipſa narratio præ manibus, & vt amanuenſis paſſim lectitanda: quod tandem certò ſciatis, quid cuique veſtrûm incumbat pro munere, quod ſubiturus eſt, ſit vobis ipſa in iudicem ad Doctores conſulendos,qui luculenter de his rebus ſcripſerunt,ſitíſque hoc pacto expediti, & parati pro tempore examinis, dúmque explorabitur, qualis ſit veſtræ literaturæ ſufficientia pro adminiſtratione ſuſcipienda: hæc eſt enim via tutiſſima, non ſolùm ad declinandam illam repulſam, quam ſummo cum rubore iure expectat, qui ſe indignum, & neſcientem ad interrogata reſpondere examinandum præbuerit: immò ianua, quàm patens cuique erit, (ſi quàm paratus,& ſufficiens extiterit) ad iſtud culmen, ſeu faſtigium omnium

digni

dignitatum attingendum, ſummo cum applauſu, & gratulatione, hoc eſt, ad hanc Eccleſiaſticam profeſſionẽ omniũ ſupremam, & ſublimem, nec Angelis quidem vſquam cõcreditam, perutilem, & tandem mercede æterna condignam.

Pro aſſumendis ad primam tonſuram.

AN ſciant competenter legere, & ſcribere, & de hoc periculum faciant.

Quid ſit prima Tonſura, & quis eius effectus.

Quot, & qui ſint articuli Fidei.

Quot, & quæ ſint præcepta tum Decalogi, tum Eccleſiæ.

Quot, & quæ Sacramenta Eccleſiæ.

Quot, & quæ virtutes, tum Theologicæ, tum Cardinales.

Quot, & quæ opera miſericordiæ, tum corporalia, tum ſpiritualia.

Quot, & quæ dona Spiritus ſancti.

Quot, & quæ peccata capitalia, & quæ virtutes illis oppoſitæ.

Et generaliter interrogabuntur de iis, quæ habentur in doctrina Chriſtiana, in quantum ſpectant ad prima Fidei rudimenta.

Pro aſſumendis ad quatuor minores, vltra prædicta.

AN intelligant Latinam linguam; & periculum faciant.

Quot, & qui Ordines ſint.

Quomodo diſtinguantur.

Quæ vniuſcuiuſque Minorum functio.

Pro-

Pro aſſumendis ad Subdiaconatum, & Diaconatum.

De Sacramentis in communi, vltra prædicta.

QVid ſit Sacramentum.

Quibus conſtat.

Qui eius effectus.

Quot ſint Sacramenta Eccleſiæ.

A quo, & quando fuerint inſtituta.

Quæ iterabilia, & quæ non, & quid ſit character.

Quænam ſint de neceſſitate ſalutis.

Quid ſint Ordines maiores, qui effectus, & quæ functio; quæ materia, & quæ forma ſingulorũ.

Ad quid teneantur, qui talibus Ordinibus ſunt initiati.

An & quomodo ad recitandum Officium; an ad ſeruandam continentiam.

Pro aſſumendis ad Presbyteratum, vltra prædicta.

QVæ cuiuſlibet Sacramenti definitio. Quæ materia, quæ forma, qui miniſter, præſertim Sanctiſſimæ Euchariſtiæ. Quibus dandum Sacramentum Euchariſtiæ quatenus Sacramentum, & quibus non: & de aſſeruatione eius.

Quibus dandum vt viaticum, & an ſæpius in eadem infirmitate.

De Miſſa.

Quid ſit Miſſa, qui, & quotuplex eius valor, quibúſve applicari poſſit.

An aqua ſit neceſſariò immiſcenda in Altaris Sacrificio, quæ & quanta.

Quid ſignificet quodlibet indumentum, quod à Sacerdote in Miſſa adhibetur. Qui defectus in Miſſa euenire poſſint, ratione formæ, materiæ, miniſtri, loci, temporis; & quæ neceſſariò requirantur ad ritè celebrandum; & quando à celebratione deſiſtendum.

Pro aſſumendis ad excipiendas Confeſſiones.

De Pœnitentia in communi, vltra Prædicta:

QVid ſit Pœnitentia.
Quæ eius partes.
Qui effectus.
Quæ neceſſitas.

De Contritione.

Quid Contritio, & in quo differat ab attritione.
An contritio, vel attritio ſit neceſſaria ad validitatem confeſſionis, & quę: quomodo iuuandus pœnitens ad contritionem habendam.

De Confeßione.

Quid ſit Confeſſio, quæ, & quot eius conditiones, & quæ ex his neceſſariæ.
Quæ materia, quæ forma, & qui Miniſter.
Quot ſunt circunſtantiæ peccatorum, & quæ de neceſſitate confitendæ.
An numerus peccatorum ſit neceſſariò confitendus, & quomodo.
Quæ & quot conditiones requirantur in Confeſſario, vt rectè, & ſecurè ſuo fungatur munere.
An & quando Confeſſarius debeat interrogare pœnitentes, & quomodo peccet interrogando, vel non interrogando.
Quem ordinem ſeruet interrogandi pœnitẽtes.
Quando, & quos obliget confeſſio.

Quando reiteranda,vel ratione confeſſionis,vel pœnitentis,vel Miniſtri.

Quando neganda ſit abſolutio confitenti.

Quot ſunt cenſuræ Eccleſiaſticæ, & quid vnaquæque illarum.

Quando,& quibus caſibus ſit euitandus excommunicatus, & quando quis excuſetur participando cum eo.

Quid ſit irregularitas, & quæ eius ſpecies, & quando generaliter incurratur.

De Sigillo.

Quid ſit.

Quibus Sacerdos illud ſeruare teneatur.

An liceat illud interdum frangere.

An frangendo ſemper peccet.

De Satisfactione.

Quæ pœnitentiæ imponendæ,& quibus Deo ſatisfaciamus.

An,& quando,& quomodo poſſint commutari.

An quis per alium ſatisfacere poſſit.

De Reſtitutione.

Quid ſit,& quomodo à ſatisfactione differat.

A quo faciẽda,cui,de quib⁹,quomodo, & quãdo.

Quid ſit vſura.

Quæ ſint ſocietates,quíve contractus illiciti.

Quid ſit Simonia, & quomodo in eam incurratur, tam in ſuſceptione Ordinum, quàm in collatione Beneficiorum.

De Peccatis.

Quid & quotuplex ſit peccatum.

Quæ & quot ſint peccatorum differentiæ, & quid mortale differat à veniali, & quomodo alter ab altero dignoſcatur.

De Peccato per ignorantiam.

Quando,quomodo,& quantum excuſet.

De

De Præceptis Decalogi.

Quid ſit ſuperſtitio, quid ſortilegium, quid incantatio, ſeu magia.

Iuramentum quid ſit,& quotuplex.

An & quando liceat iurare.

Quid ſit periurium, & an vnquã liceat deierare.

Quid ſit votum,& quis poſſit vouere.

Ad quem ſpectet diſpenſatio, commutatio, & irritatio voti.

Quomodo dies feſti obſeruentur, & quomodo violentur.

Quis teneatur recitare diuinum Officium,quomodo, & quando & in quam pœnam non recitando,incidat.

De Præceptis Eccleſiæ.

Quot, & quæ ſint.

Qui & quando teneantur ad ieiunium, & qui, & quando excuſentur.

Quis teneatur ad ſoluendas Decimas, & quando, & de quibus ſint ſoluendæ, & in quam pœnam non ſoluentes incidant.

De Caſuum Reſeruatione.

Qui Caſus reſeruati ſint Papæ, quíve Epiſcopo.

Qui reſeruentur in Bulla Cœnæ Domini.

Qui reſeruentur Epiſcopo in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus.

An,quando, & quomodo poſſit quilibet Sacerdos à reſeruatis abſoluere.

Particulares interrogationes pro aſſumendis ad curam animarum,vltra prædicta.

QVæ ſint Curati munera.

Quid ſit cura animarum.

De Baptiſmo.

Quid ſit Baptiſmus.

Quotuplex.

A quo,& quando inſtitutus.

Quæ

Quæ materia, quæ forma & quis Miniſter.
Quibus dandus, & quo tempore.
Quid primò interrogandum eſt, cùm puer baptizandus defertur ad Eccleſiam. An cuilibet liceat paſſim baptizare in caſu neceſſitatis, & quando quis baptizandus ſit ſub illa conditione: *ſi es baptizatus, ego non te baptizo, &c.* & quando ſolæ ceremoniæ in Eccleſiæ ſint adhibendæ: qui ritus, quæve ceremoniæ adhibendæ, præſertim iuxta Decreta Concil. Trid.
Quot patrini adhiberi poſſint, & inter quos contrahatur affinitas.

De extrema Vnctione.

Quid ſit extrema Vnctio.
Quibus danda, & quibus caſibus, quibúſve non.
Quo tempore, quæ partes inungendæ.
An poſſit iterari.

De Matrimonio.

Quibus ex cauſis Matrimoniũ inſtitutũ fuerit.
Qui ritus, quæve ceremoniæ adhibendæ ſint in celebratione Matrimonij, & præſertim iuxta diſpoſitionem Concilij Trid.
Quot, & quæ ſint illius impedimenta, & qui eorum effectus.
Quot modis contingat coniuges peccare circa hoc Sacramentum.

Beatus ille Seruus, quem, cùm venerit Dominus inuenerit ita facientem. Luc. 12.

Laus DEO vni & trino, Virginíque Matri.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Approbatio Doctorum.

PRodeat in lucem tracta-tus iſte, *De Iuridica poteſtate Confeſſariorum*, prodire enim iure poteſt, quòd Catholicum & Canonicũ opus ſit. Ita cenſeo & probo. Actum Lugduni, 19. Apr. 1617.

F. ROBERTVS BERTHELOT,
Epiſcopus Damaſci.

EGo FRATER IOANNES *Chauanon, ſacræ Theologiæ Profeſſor, idem cenſeo.*

FR. I. CHAVANON.

CONSENTEMENT.

VEu l'approbation & atteſtation des ſuſdits Docteurs de Theologie, Ie conſens pour l'intereſt du Roy & du public, que le ſuſdit Liuret, *De Iuridica poteſtate Confeſſariorum*, ſoit imprimé par Claude Morillon, auec defences à tous autres Libraires & Imprimeurs de l'imprimer. A Lyon, ce 25. Octobre, 1617.

DV FRESNE.

Permiſſion de monſieur le Lieutenant general en la Seneſchauſſee & Siege Preſidial à Lyon.

VEu le ſuſdit conſentement, nous auons permis à Claude Morillon, d'imprimer & vendre le preſent Liure, auec les deffences en tel cas requiſes. A Lyon ce 25. Octobre, 1617.

SEVE, Lieutenant general.

BIBLIOTECA